SYNODUS BOTANICA

OMNES

FAMILIAS, GENERA ET SPECIES

PLANTARUM ILLUSTRANS.

PARS IV.

CONTINENS FAMILIAE ROSACEARUM GENERA: POTENTILLAM, LEHMANNIAM, SIBBALDIAM, COMARUM, SPALLANZANIAM ET AGRIMONIAM.

VINDOBONAE, 1824.

APUD J. G. HEUBNER.

ROSACEARUM

MONOGRAPHIA.

AUCTORE

LEOPOLDO TRATTINNICK,

MUSAEI CAES. REG. BOTAN. VINDOB. CUSTODE, MAGNAT. AUSTR. INFER. PHYTOGRAPHO, SOC. CAES. REG. AGRICULT. PLURIUMQUE ALIARUM SOCIETATUM LITER. SODALI ETC.

VOLUMEN IV.

VINDOBONAE, 1824.

APUD J. G. HEUBNER.

PRAEFATIO.

In hoc tomo quarto Synodi botanicae absolvi reliqua, quatenus mihi cognita erant, Rosacearum genera, circa quorum tractationem sequentibus rationem reddam:

Separatis de Potentilla speciebus Fragariae, Comari, et Lehmanniae exhibui 111 hujus generis species. Distribui has, quemadmodum jam in generibus Rosae, Rubi et Gei moliebar, in 16 series, pro affinitatis seu similium characterum momento. Hac enim ratione non modo dignitates specierum melius percipiuntur, sed et species ipsae citius cognoscuntur, et cujuslibet novae locus primo intuitu determinatur. Series ipsas ad affinitatis normam

componere conatus fui, adeo ut prima contineat species nobilissimas, et ultima simplicissimas.

Sequentia circa Potentillas dubia et pensa, ut proxime solvenda, posteris observatoribus, hoc loco collecta, prae ceteris commendo:

P. prostrata. Lapeyr. est species mihi non penetrabilis. v. P. fruticosa.

P. Loureironis. T. Hanc speciem ob characteres commemoratos distinctissimos interim suscepi: sed desideratur quam maxime repetita et accuratior observatio et uberior descriptio.

P. floribunda. Pursh. Valde in votis est hujus speciei sufficiens illustratio.

P. tenuifolia. Willd. In hujus diversitatem vel identitatem specificam cum P. fruticosa ulterius investigandum est v. P. floribunda.

P. ruthenicam, diffusam, norwegicam et hirsutam interea quidem in fidem et auctoritatem aliorum ut species diversas suscepi; tamen de illarum legitima diversitate multum dubito. v. has species.

P. strigosa. Pall. desideratur plenaria descriptio.

P. hispida. Willd., quam interim ut subspeciem

distinxi, est forte vera species, sed nondum satis observata.

P. nudicaulis. Willd. an omnia Synonima h. l. allegata approbantur?

P. filipendula. Willd. an non nimis affinis P. strigosae?

P. Biebersteiniana. T. Plane non dubito de diversitate specifica hujus plantae a P. agrimonoide; sed ulterior observatio et sufficiens descriptio quam maxime in votis est.

P. Humboldtiana. T. Optanda est completa descriptio: sed hanc sine dubio obtinebimus cum termino pretiosissimi operis: Nova genera et species plantarum orbis novi aequinoctialium ab ill. Humboldt, Bonpland et Kunth.

P. anserina biflora: an non potius diversa species?

P. anserina groenlandica: an (sed vix!) eadem ac Schrankii P. anserina β. minor?

P. hirta. β. viscosa; an non potius distincta species?

P. argentea: attentiores observationes instituere

oportet, numne haec vel illa distinctarum subspecierum sit vera species?

P. calabra. Ten. An specimina helvetica, huic quidem simillima, sed characteribus paucis diversa, ad eandem penitus speciem pertinent? v. P. calabra.

P. intermedia. An haec a nobis suscepta est vera P. intermedia Linn.? an potius ad mentem Halleri filii varietas P. salisburgensis? vel nova species? anve P. ruthenica Willd. est simul P. intermedia Linn.? et, si hoc, nonne P. norwegica, hirsuta, ruthenica et diffusa conjungi debent in unam cum P. intermedia?

P. incisa. Patria nondum determinate declarata est.

P. laxa. Willd. P. dubia. Suter. et P. humifusa. Willd. an revera sunt mera P. opacae Synonima?

P. heterophylla. Lapeyr. Profecto videtur esse species distincta. Sed optanda esset descriptio.

P. subacaulis. L. An var. β. caule aphyllo Fl. taur. cauc. pro mera hujus varietate habenda est? v. P. subacaulis.

P. simplex. Fidelem ad naturam institutam descriptionem reposcit.

P. sarmentosa. Willd. Desideratur plenaria descriptio.

P. reptans. β. sessilis Circa hanc plantam a me non visam nihil decidere audeo. An mera varietas? v. P. reptans.

P. nemoralis. Nestl. Sub hac denominatione suspicor commixtionem plurium specierum.

P. elatior. Schlechtend. Nonne forte haec est illa P. norwegica Americanorum, qui nostram P. norwegicam P. hirsutam nominare videntur? v. P. elatior.

P. grandiflora. L. Plantae saltem sibiricae sub hoc nomine divenditae videntur aliam speciem constituere.

P. subacaulis. Gmel. Fl. bad. alsat. II. 450. foliis Fragariae similibus, omnibus ternatis, utrinque argenteo-sericeis, corollis albis, quam crebro observasse dicit in Gallia meridionali et Hispania, quae ex seminibus in Arragonia lectis in horto carlsruhano culta flores semper retinuit albos — a Bota-

nicis ingeniose observanda est. Quaeritur, an sit de serie Schlechtendaliana, et tum fortasse P. velutinae vel P. Vaillantii propinqua? numne penitus Fragaria breviscapa, aut micrantha?

P. frigida: an recte ad exemplum Halleri fil. separavi P. frigidam et helveticam in duas species?

P. frigida Nestl. ab utrisque praecedentibus differre videtur. v. P. helvetica.

P. Bocconii. Circa petala adhucdum observationes desiderantur.

P. retusa et tridentata, attentius examinatae, possent adhuc cognosci ut duae diversae species.

P. biflora. Willd. Petalorum cognitio adhucdum deficit.

P. Dethomosii. Hujus descriptio saltem mihi in votis est.

P. corymbosa. Pourret in Act. tolos. III. 325. caule suffruticoso, adscendente; foliis quinatis ternatisve villosis, foliolis linearibus, stipulis petiolo longioribus, floribus corymbosis. Hab. in Catalonia. De hac reliqua omnia desiderantur.

P. dissecta. Pursh. erecta, ramosa, glabriuscu-

la, foliis quinatis, foliolis pinnatifidis, laciniis integris acutis, floribus terminalibus subcorymbosis. Pursh. Fl. Am. sept. ed. 2. I. 355. Hanc non suscepi, utique plantam nimis imperfecte cognitam.

P. bithynica. Horn. foliis radicalibus quinatis: foliolis subrotundis, obovatis, caulinis ternatis: foliolis oblongis; caule ramosissimo, calyce longitudine corollae. Hornemann. Suppl. h. bot. hafn. p. 55. De hac nil amplius reperi.

P. declinata. Horn. foliis inferioribus quinatis: foliolis lanceolatis, profunde incisis, caulinis ternatis; caule prostrato; calycibus petalis longioribus. Horn. l. c. p. 56. Suspicor varietatem P. opacae. Sed nil certi explorare potui.

P. pulchra. Langsdorff. Bemerkungen auf einer Reise um die Welt. II. 67. Planta etiam mihi uti cel. Lehmanno penitus incognita.

P. ucranica. Loddiges Catal. of plants. ed. 11. (1818.) p. 46. observanda.

P. vinosa. Lodd. l. c. non nosco.

P. chrysantha. Trevir. Corolla calyce duplo major, aurea. Link. Enum. h. ber. II. 64. Dicitur sy-

nonima cum P. intermedia (an cum nostra?) v. C. Spreng. Neue Entdeck. II. 296.

P. ovata. Poiret. an merum P. subacaulis Synonimon?

P. pallida. Lagasca. quid?

P. groenlandica. R. Brown. quid? v. Steudel. Nomencl. bot.

P. heptaphylla. Mill. quid? v. Steudel l. c.

P. pulchella. R. Brown. quid? v. Steudel. l. c.

Quod genus Lehmanniae adtinet, de hujus denominatione rationem sufficientem reddidisse puto in ipsius generis commentatione.

Sibbaldia genus Potentillae intime conjunctum, et quasi consanguineum. Est quodammodo Potentilla ad limites, solo organorum sexualium numero restricta. Circa species hujus generis sequentes quaestiones movendae sunt:

S. parviflora. An species sufficienter diversa a S. procumbente?

S. polygyna. Nonne potius novum genus constituere meretur? uti et S. altaica, et S. grandiflora?

S. octopetala. Mill. quid? v. Steudel Nomencl. bot.

Genus Comari separavi a Potentilla: nam rationes, quibus se habet ad hanc, longe aliae sunt quam illae, quae Tormentillam cum illa conjungunt. Sane, si Comarum et Fragarias steriles subjungeremus Potentillis, nulla amplius ratio sufficeret generibus Fragariae, Comari, Potentillae, Lehmanniae et Sibbaldiae disjungendis.

Spallanzania genus est ab Agrimonia separatum, ejusdemque cum Potentilla affinitatem praestanter illustrans. Diminutio numeri in organis sexualibus approximationem indicat ad Sibbaldiam, Waldsteiniam et Dalibardam; inclusio germinis vero memoriam Rosae revocat; folia in hoc genere quodammodo P. norwegicam imitant, in sequenti (Agrimonia) potius Geum: sed glochides calycem ambiunt, pistillis deficientes.

De sex speciebus Agrimoniae illa Michauxii A. striata ulteriori observationi quam maxime commendari debet. Circa hanc enim plurima desideran-

tur. Etiam Agrimonia repens planta est plenaria illustratione non minus digna quam indigens.

Cum hisce 15 generibus, quantum scio, familiam Rosacearum absolvisse puto, et primam Synodi monographiam finio. Nova de die in diem deteguntur, circa plantas minus bene cognitas quotidie observationes meliores et correctiones divulgantur. Sic etiam sub ipso meo labore jam plura successerunt, quae non amplius inseri potuerunt, et Additamentis praeservari debuerunt. Sic e. gr. tomo tertio nondum typo penitus absoluto accepi cel. Prof. Tausch hortum Canalium, fasc. 1mum, in quo praeter Potentillam ornithopodam, tomo praesenti quarto adhuc insertam, etiam nova Gei species, Geum sudeticum, descripta et depicta est. Hujus jam plenariam illustrationem Additamentis reservare debeo: sed tamen hoc loco in gratiam Lectorum de hac specie sequentia praevie communicare volo:

Diagn. G. caule subbifloro, floribus nutantibus; aristis uncinatis plumosis; foliis radicalibus pinnatis: impari maximo subrotundo, infe-

rioribus sensim minoribus; caulinis simplicibus. Tausch. l. c. no. 9.

Species de serie Gmeliniana. Quoad iconem folia G. montani, inflorescentia G. intermedii, flores 4, petala lutea, aurantiaco — venosa, rotunda, brevissime unguiculata, levissime emarginata. Aristae plumosae, sub apice tortae, apice glabrae. Proximum videtur G. pyrenaico.

Ex praesentis denique Monographiae Rosacearum specimine melius quam ex omnibus nostrae susceptionis promulgationibus vides B. L., qua ratione et quibus consiliis finem Synodi botanicae sequamur. Sat multa hoc loco percipies nostro instituto propria et usquedum nova, quae brevi conspectu liceat tuae aestimationi submittere, et commendare.

Sic conformatio schedularum Tibi libertatem tribuit, genera et species ad qualemcumque methodum coordinandi, easdemque in varios usus adhibendi, adnotationes denique proprias vel alienas paginae adversae vacuae inscribendi.

Facultas omnes errores, omniaque vitiosa

emendandi, et intercalandi omnia, quae serius detegentur, huic operi exclusive propria est, et a nullo usquedum alio in omni re literaria consecuta, qua recuperata integrum opus nunquam repudiari debeat, vel de novo suscipi, sed potius de die in diem et sic perpetuo altiorem perfectionis, puritatis et absolutionis gradum consequi.

Cautio excelsae Societatis botanicae regiae ratisbonensis pro certitudine redactoris meo recessu, sin alioquin opus a botanicis recipiatur, omne dubium de ejusdem possibili progressu et perfectione delere debet, cum neque vitae terminus, nec virium valor ulterius objici possit veluti impedimentum Totius absolvendi.

Legalitas et universalitas eminens huic denegari non poterit, cum in illo nil aliud stabiliri et pesistere possit, nisi quod consensu omnium botanicorum totius orbis affirmatur, et cum nil aliud contineat quam fidelem relationem omnium observationum botanicarum ad discernenda genera et species plantarum utilium.

Conferentium, omniumque meritorum cultus

hoc opere solo perpetuus redditur. Alia opera a posterioribus de scena moventur. Synodus botanica nunquam exstirpatur, et in hac memoria omnium observatorum aeternitati conservatur.

Non minus nova quam utilis porro agnosci debet consignatio dubiorum et desideratorum in praefationibus proposita; hac enim institutione oblivioni plurimorum praecavetur, et stimulus excitatur tanto citius omnia explendi vel reparandi, quae artem nostram retardant.

Scientiarum artiumque incrementa a singulis quantumvis eruditis potius cohibentur quam augentur. Consensus plurimorum, consensus aevorum requiritur, ut quidquam certum et inviolabile dici valeat. Ut autem hic consensus consequi et exprimi possit, debent prius singulorum opiniones et propositiones referri. Judicia censorum, quacunque via patefiant, in correctionibus et supplementis serius colligentur. Sic tandem opus ipsum Synodus botanica dictum nil aliud est quam fidelis relatio omnium observationum, emendationum et supplementorum, quae usquedum ejusdem redactioni pa-

tefacta fuerunt, vel serius patefient. Redactor ipse suam quidem opinionem exponit, nunquam decidit.

Distributio integri operis in Monographias integras, quae separatae vel unitae haberi possunt, iterum nova institutio est, ingenti Botanices incremento respondens, quae difficultatem tollit eas sibi Totius partes eligendi et comparandi, ad quarum objecta ulterius inquirenda minus potentes occasione vel animi affectione definiuntur.

Series in generibus majoribus, veluti Rosa, Rubo, Geo et Potentilla non ad differentias artificiales et exclusivas, sed ad affinitatem naturalem, seu pluralitatem similitudinum constitutae sunt. Inde valor et perfectio omnium specierum tutius dijudicari, et locus inquirendae citius inveniri poterit. Quicunque de serie aliqua species quasdam primarias noscit, primo intuitu novam sibi obvenientem illi subordinabit, cum a reliquis omnibus affinitate recedat.

Sic etiam veneratio Botanicorum majorum, quam denominatione serierum intendo, occasionem praebet, nominibus et meritis illorum melius sa-

tisfaciendi, quam usquedum fieri potuerat. Hac enim, ut alia silentio transeam, etiam talia nomina celebrari poterunt, quae ob aequalitatem cum priori jam indito novo generi non amplius dare liceret.

Subspecierum distinctiones maxime in emolumentum eorum additae sunt, qui hortos sustinent, et variis nominibus decepti earumdem viva specimina magno pretio emunt; sed tamen nesciunt, quibus speciebus adscribi debeant, vel qua ratione se habeant ad alias, et ad veras species. Sed istae distinctiones etiam Botanicorum saepe postulatis respondent: nam multae harum subspecierum a variis pro speciebus exhibitae fuerunt, aliae fortasse in posterum pro talibus declarabuntur. Harum cognitio, quatenus usquedum observationibus illustrata fuit, conservari debet, ut repetitis investigationibus a primariis rite dijudicari, et vel respui possint vel jure specifico confirmari.

Vilissima profecto novitas est illa signorum permutatio, qua (paucis relictis aliisque additis) in locum illorum, quae ill. Prof. De Candolle primus

proposuit, analogiam consuetudinis sequens, mera calendariorum, s. astronomica substitui. Horum introductio penitus inutilis foret, nisi multo majorem specierum copiam hoc loco tractare deberem, quam sunt illae in Linnaei, Willdenowii, vel Persooni operibus conscriptae. Signa jam alioquin ex calendariis nota, facilius memoria retinentur quam aliena et penitus nova.

Non levis fuit labor, quo species in praesenti Monographia collectas tractavi. Assidua diligentia, praeparatio per plus quam tria decennia, et frequens circumspectio in libris et herbariis requirebatur; insignis denique cautio in delectu Synonimiae et coordinatione specierum ad leges affinitatis. Multos praedecessorum errores et delitescentias emendavi. Si non omnes, aequus judex indulgebit imbecillitati humani ingenii. Sed etiam sciens plures retinui, quando nempe mea sola opinio non sufficere, sed consensus graviorum judicum ad certitudinem constituendam reposci videbatur. Tales vero errores a censoribus indicandi, non mihi, sed praesenti artis ipsius imperfectioni imputare oportet.

Sed praeter haec omnia longe absum, ut credam, me omnibus postulatis satisfecisse. Itaque finito hoc primario specimine per temporis spatium subsistam, peritorum et censorum judicia exspectans, sincera mente paratus ad omnia emendanda vel melius instituenda, quae a sapientioribus mala reprehendentur, vel ab iisdem in finem summae perfectionis aliter tractanda indicabuntur. Gratissimo certe animo eorum consiliis me obedientem praestabo, si modo omnes hujus susceptionis rationes conditionesque rite perpendisse videantur. His tandem consecutis et religiose observatis nil amplius desiderandum remanebit, et Synodus botanica omni respectu opus perfectissimum utilissimumque evadere debet.

Sequentia ad mentem bibliopolae redemptoris declarare invitatus fui:

Praesenti specimine inspecto, ejusdemque rationibus et exspectationibus sufficienter intellectis, velint lectores, et omnes, quibus haec susceptio aliquid valet, plenariam illius cognitionem et rectos intuitus omnibus viis propagare, et in hanc at-

attentionem illorum excitare, quibus adcommodata videbitur! Ipsa Synodi continuatio, uti et pretium tomorum subsequentium, dependent ab exceptione praesentis Monographiae et a copia editionis emptorum numero definienda. Hoc jam ab initio levius obtulit, et in hunc finem subscriptionis viam aperuit: sed frustra: subscribentium enim numero pro editione majori non sufficiente, et conditione peremptoria non impleta, ipsam subscriptionem primariam sustulit, et praesentem interim Monographiam experimento suscepit, pretio minori editioni respondente divendendam.

De hujus operis subsecutura olim universali receptione ipse quidem nec minime dubito: sed neque mihi infitiari possum, incrementum et accelerationem receptionis praeprimis dependere ab efficientia eruditorum, si suam operis ipsius adprobationem publice pronuntient, vel illud oculis sociorum submittendo sua illustratione comitentur. Sane talis rei utilis commendatio non impedit, quo minus vitiosa vituperent,

vel meliora consilia in finem omnis, quae desiderari potest, plenitudinis et perfectionis humano more communicent.

V. d. 19na Octobris. MDCCCXXIII.

T.

POTENTILLA *Linn.* Pentaphyllum. Gaertn. Quinquefolium. Tournef. Argentina. Lam. Tormentilla. L. Trichothalamus. Spreng.

(Syst. sex. Icosandr. polygyn. A. n. Rosaceae. G. p. Lehmannia.)

Char. gen. Calyx suburceolatus, 10-fidus, laciniis exterioribus angustioribus (plerumque et brevioribus), angulis interiorum adhaerentibus; Petala 5, laciniis exterioribus opposita. Stamina plurima (15 — 30), calycis limbo adfixa, petalis breviora; Pistilla plurima (10 — 60), gynophoro conico, exsucco, plerumque villoso subimmersa: stylo manifeste laterali. Akenia subreniformia, sicca, dura: semine appenso.

Distribuendae ad minimum in 16 series, si characteres affinitatis naturalis respicimus. Artificialiter possunt dividi: a.) quoad folia: in pinnatas, et digitatas; b.) quoad flores: in luteas et aliter coloratas; c.) quoad habitum: in repentes, erectas, et subacaules. Exceptionibus maxime divergunt: P. Tormentilla numero quaternario, et series prima caule fruticoso. Pulcherrimae species sunt: P. pedata, P. laciniosa, P. grandiflora, P. comaroides, P. nitida, et P. speciosa. Plurimae habitant in Europa, permultae in Oriente Continentis antiquioris, nec paucae in America, cis et trans aequatorem; fere nullae in climatibus calidis, nullae in Australasia: multae vero in alpibus et regionibus arcticis.

In distinguendis speciebus prae ceteris sequutus sum cel. prof. Lehmannum; paucas (circiter 25) addidi ex Rothio, Tauschio, Biebersteinio, Chaixio, ex herbariis amicorum et observationibus propriis. Tormentillam conjunxi; sed respui Comarum, Argentinam, Trichothalamum et species Fragariae gynophoro exsucco. Rationes reddidi ad genera haec et species ipsas.

Nomen Potentillae derivatur a potentia, seu virtute adstringente plurium specierum v. gr. P. Tormentillae, reptantis, anserinae et sim.

SERIES I.

LEHMANNIANA.

Frutices parvi, recti; folia pinnata, paucijuga: foliolis integris; flores subsolitarii, terminales, lutei.

Species: P. fruticosa. L. P. Loureironis. T. P. floribunda. Pursh, P. davurica. Nestl. P. Salesovii. Steph.

POTENTILLA *fruticòsa. L.*

P. foliis pinnatis calycibusque villosis; foliolis lineari-lanceolatis, integerrimis, petalis calyce paullo majoribus sepalis exterioribus linearibus; caule fruticoso. T.

Potentilla fruticosa. Willd. Sp. pl. II. 1094. Ej. En. h. b. I. 552. Hayne dendr. Fl. 110. Ait. h. k. ed. 2. III. 273. Nestler. Potent. p. 30. Lehmann Pot. p. 31. La Peyr. Pyr. p. 287. Smith. fl. brit. II. 547. Engl. bot. t. 88. Mich. fl. bor. amer. I. 304. Pursh. fl. Am. sept. I. 355.

Frutex 2—4 pedalis, rectus, ramosissimus, cortice fusco solubili, epidermide in ramis senioribus dehiscente. Folia inferiora petiolata, impari-pinnata, 2—3juga, suprema subsessilia, ternata. Foliola pleraque lineari-lanceolata, nonnulla subspatulata, alia elliptica, pollicem longa, 2—3 lineas lata, integerrima, inferiora opposita, superiora tria confluentia et decurrentia, subtus pallidiora, utrinque plus minus villosa vel pubescentia, seniora denudata. Stipulae lanceolatae, membranaceae, scariosae, villosae. Flores terminales, solitarii vel paniculati; pedunculi villosi, medio plerumque 1—2 bracteati. Calyces plus minus villosi, sepalis exterioribus lineari-lanceolatis et quasi adnatis, interioribus semiovatis, acuminatis. Corolla lutea, patentissima, petalis obovato-subrotundis, integerrimis; gynophorum hemisphaericum villosissimum.

Hab. in Eboraco Angliae, Oelandia australi, Austria, et Pyreneis. ♄. Cel. Prof. Lehmann cum hac quidem conjungit Pot. davuricam. Cum autem haec species notis sat essentialibus a Botanicis primi ordinis distinguatur, et diversitas patriae diversitatem specificam suspicari faciat, hancce unitatem saltem ut rem nondum penitus decisam considero, et speciem exhibeo, quae, si forte a communione botanicorum pro tali non agnoscatur, saltem ut subspecies vel varietas maximi momenti observari debet et hoc loco distingui. Sic etiam P. fruticosam Lour. ut speciem singularem sub nomine P. Loureironis distinguo. Quid autem P. prostrata Lapeyr. Suppl. fl. pyr. p. 67., quae ut Synonimon ad P. fruticosam allegatur, sit, penitus h. t. nescio. T.

POTENTILLA *Loureirònis. T.*

P. foliis pinnatis, trijugis, foliolis lanceolatis, integerrimis, pubescentibus; floribus spicatis; caule fruticoso. T.

Potentilla fruticosa. β. Yâm chi chŏ. α. Duong trinh daoc. Lour. fl. cochinch. ed., Willd. I. 399.

* Caulis fruticosus, erectus, rectus, rubescens, 2-pedalis: radice simplici, crassa, obliqua: radiculis crassis, longis. Folia imparipinnata, 3-juga, alterna, petiolata: foliolis lanceolatis, integerrimis, aequalibus, pubescentibus, subsessilibus. Flos aureus, spica oblonga, simplici, terminali. Calyx 10-fidus, laciniis acutis, erectis. Corolla petala 5, rotundata, patentia. Stamina numerosa, calyci inserta, corolla sublongiora. Semina multa, acuminata, calyce defensa, receptaculo exsucco affixa. Lour.

Hab. in provinciis septentrionalibus sinensibus. Pentaphylloides fruticosa. Amman. Ruthen. p. 88—89. tab. 17—18. fig. 1. ubi praeter alia notandum, folia ibi delineari digitata, floresque subsolitarios: cum in nostra flores in spicam paucifloram assurgant, foliaque sint vere pinnata, (pinnulae) basi inter se distantes. Loureiro.

Mihi haec species satis distincta videtur, et quidem praeter characteres allegatos staminum longitudine, et pinnulis distantibus. Sed plura adhuc desiderantur, e. gr. magnitudo fruticis et partium, proportio petalorum ad sepalas, stipularum et sepalarum qualitates etc. T.

POTENTILLA *floribùnda. Pursh.*

P. erecta, ramosissima, hirsutissima; stipulis ovatis integris, foliis quinato-pinnatis, foliolis lineari-oblongis, margine revolutis, petiolis brevibus, corymbis (cymis) terminalibus dichotomis, dense multifloris, calycis laciniis subaequalibus, petalis subrotundis, longitudine calycis. Pursh.

Potentilla floribunda. Pursh. Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 355. Poiret. Encycl. bot. Suppl. IV. 540.

Hab. in pratis uliginosis et ad ripas lacuum Canadae et in montibus Novi Eboraci et Novae Caesareae. ♉. Floret Julio et Augusto. Frutex humilis non ultra sesquipedalis. Etsi mera P. fruticosae varietas esse videatur, tamen, ad testimonium Purshii, differentia in habitu adeo notabilis est, ut non dubitet, illum ut diversam speciem proponi debere. Interea dicit, comparatio ambarum specierum cultarum quaestionem decidere debet.

Quod meam opinionem adtinet, ego de diversitate specifica P. floribundae plane non dubito. Sed Synonimon Ammanni (Stirp. rar. ruth. p. 89. t. 18. f. 1.) et Willdenowii (P. tenuifolia. Conspect. Potentillarum herb. Willden. in Magaz. d. Ges. naturf. Freunde. VII. ann. p. 285.) nollem huc referre. Nam planta Ammaniana minime floribunda est, et foliola acuminatissima, supra laete viridia subtus incana sunt. Ergo magis investigandum est, an planta sibirica sit mera P. fruticosae varietas? quod mihi verosimile videtur. Planta americana autem uberiorem commentationem reposcit. T.

POTENTILLA *davùrica. Nestl.*

P. foliis pinnatis, calycibusque glabris, foliolis oblongis, bracteis ovalibus, caule fruticoso. Nestler.

Potentilla davurica. Nestl. Potent. p. 31. tab. 1. bis. Poir. Enc. Suppl. IV. 541.

Potentilla fruticosa β. foliis utrinque glabris. Lehmann Pot. p. 32.

Pentaphylloides fruticosa, elatior, minus hirsuta. Amman. Stirp. rar. ruth. p. 88. t. 17.

Caulis fruticosus, cortice fusco frustatim solubili. Folia bijuga cum impari, utrinque glabra; foliolis oblongis, abrupte apiculatis. Pedunculi filiformes, elongati, uniflori, ad medium foliolo simplici plerumque instructi, patenti-pilosi, ramulos singulos terminantes. Petala lutea, rotundata, calyce majora. Species quam maxime affinis Pot. fruticosae, sed glabritie foliolorum nec non calycis (potius sepalarum!) et bracteolarum forma omnino diversa. Nestler. l. c.

Hab. in Davuria. Nestl. ad Ingodam et Schilkam fluvios sub initium Junii floret. Gmel. et Amm.

Mihi pro specie sufficienter differe videtur, et quidem praeter characteres allegatos, floribus lateralibus terminalibusque solitariis, sepalis dilatatis, stipulis bracteisque apice barbatis, et pedunculis elongatis. T.

POTENTILLA *Salesòvii. Steph.*

P. foliis pinnatis subtus albo-tomentosis, foliolis serratis, caule fruticoso. Willd.

Potentilla Salesovii. Stephan in litt. Willd. Enum. I. 552. Nestl. Potent. p. 31. Lehmann. Potent. p. 35. tab. 1. Poiret Encycl. Suppl. IV. 538.

Caulis fruticosus, cortice fusco instructus. Folia petiolata, impari-pinnata, plerumque trijuga (in icone citata multa etiam quadrijuga, pari infimo minimo!). Foliola brevi-petiolata, oblonga, argute serrata, versus basin integerrima, supra pallide viridia, pubescentia, subtus niveo-tomentosa. Stipulae ovatae, acuminatae, integerrimae, margine scariosae. Flores in summo caule congesti, brevi-pedicellati: pedicellis albo-tomentosis. Calyces basi villosi; foliola purpurascentia, acuminata, exteriora linearia, breviora; interiora maxima, ovata. Corolla alba: petalis obovatis integerrimis, unguiculatis calyce paullo brevioribus. Receptaculum hemisphaericum lanuginosum. Lehmann.

Hab. in Sibiria. ♉. Valde miror, quod clariss. Prof. De Candolle et Nestler potuerint dubitare de diversitate specifica hujus Potentillae a P. fruticosa. Corolla calyce minor, petalis albis, sepalae acuminatissimae, interiores maximae, ovatae, exteriores lineares breviores, folia saepe quadrijuga, foliola obovata serrato-dentata, suprema cum impari non confluentia et totus habitus Potentillam Salesovii adeo distinguunt, ut vix duae species facilius discerni possint quam haec et P. fruticosa. Utique P. Loureironis, floribunda et davurica longe minus differunt ab hac quam P. Salesovii. Specimen a Pr. De Candolle cum P. fruticosa comparatum debuit esse erroneum, nec de P. Salesovii. T.

SERIES II.

NESTLERIANA.

Caules herbacei decumbentes; folia pinnata multijuga: foliolis integris bipartitisque; flores in summis caulibus subpaniculati, parvi, pallide lutei.

Species: P. bifurca. L.

POTENTILLA *bifùrca. L.*

P. caule procumbente, foliis pinnatis, foliolis subaequalibus oblongis, bifidis integrisve, extimis confluentibus. Lehmann.

Potentilla bifurca. Willd. Sp. pl. II. 1098. Pers. Syn. II. 54. Ait. h. k. ed. 2. III. 274. Nestl. Potent. p. 33. Lehmann. Potent. p. 36. no. 3. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. I. 404.

Potentilla bifurcata. Poir. Encycl. V. 587.

Pentaphylloides supinum minus, folio glabro non serrato. Amman. rar. ruth. p. 91. Gmel. iter. I. p. 149. t. 27. f. 1. Falk. Beitr. z. Kennt. d. russ. Reichs. II. t. 10. Buxbaum Cent. I. t. 49. f. 1.

Radix lignosa, extus nigro-fusca. Caules procumbentes, spithamei, basi reliquiis foliorum emarcidis instructi, foliosi. Folia alterna, petiolata, impari-pinnata, multijuga. Foliola sessilia aequali longitudine, opposita, alternaque, suprema confluentia, oblonga, integerrima, margine subrevoluta, nunc integra, nunc profunde bifida, terminale trifidum, omnia venosa, in locis humosis subtilissime pubescentia vel subglabra, laete viridia, subtus pallidiora, in locis sterilibus pilis densis incumbentibus subsericea et canescentia; stipulae petiolares, basi vaginantes, inferiores lanceolatae integrae, superiores incisae. Flores in summis caulibus subpaniculati, bracteati; pedicellis filiformibus, pilis patentibus densis instructis. Calyces pilosi: foliolis, aequali fere longitudine, oblongo-lanceolatis. Corolla pallide lutea: petalis obovatis, integerrimis, calycem superantibus. Receptaculum villosum. Lehmann.

Hab. in Caucasi et Iberiae campestribus apricis, in Sibiria transbaicalensi, et in Silesia. ♃. Lehm. Varietas minor (Amman. p. 92.) sibirica magis et strictius erigitur. Sepalae in omnibus inaequales, interiores semiovatae duplo latiores exterioribus lineari-lanceolatis. T.

SERIES III.

SERINGEANA.

Plantae herbaceae, sarmentaceae; folia interrupte pinnata, multijuga; flores sparsi, axillares, subsolitarii.

Species: P. anserina. L.

POTENTILLA *anserina. L.*

P. caule repente villoso; foliis interrupte pinnatis, supra pubescenti-viridibus, subtus niveis, tomentoso-sericeis, stipulis multifidis, pedunculis solitariis unifloris, sepalis omnibus acutis, exterioribus incisis. T.

Potentilla anserina. Willd. Sp. pl. II. 1095. Nestl. Potent. p. 35. Lehmann Potent. p. 71. no. 25. cum. plur. Synon. Sturm Deutschl. Fl. I. Abtheil. II. Bd. Curt. fl. londin. f. III. tab. 31. Sowerb. Engl. bot. XII. t. 861. Fl. dan. IV. t. 544.

Argentina vulgaris. Lamarck fl. franç. III. 119.

Radix cylindrica, ramosa, pro ratione aetatis extus albida, seu nigro-fusca, fibrillis instructa. Sarmenta filiformia, glabra subgeniculata. Folia interrupte pinnata, multijuga, petiolata: foliolis sessilibus, oppositis ovalibus, argute serratis, subincisis, supra viridibus, glabris, subtus albido-argenteis, vel utrinque sericeis argenteis pro soli et loci natura. Stipulae multifidae. Pedicelli axillares, solitarii, longitudine foliorum, plus minusve pilosi, teretes, erecti. Calyces pilosi foliolis exterioribus plerumque multifidis (2—3 fidis) laciniatis, interioribus integerrimis. Corolla lutea: petalis oblongis, rotundato-obtusis (plus minus emarginatis) calyce duplo longioribus. Lehmann.

Hab. per totam Europam, in Asia et America septentrionali, ad vias, fossas et in pratis praesertim subhumidis. Floret per totam aestatem. ♃. Variat foliis luteis et albis dicit Aspelin in Linn. Amoen. acad. I. p. 523. Cum vero folia nunquam lutea videantur, debet sphalma subesse, et sine dubio petala substitui. Saltem in varietate groenlandica video flores albos in speciminibus a Gisekeo adlatis. Aliam varietatem vidi foliis utrinque niveo-sericeis speciosissimam atque etiam magnitudine aucta distinctam. T.

POTENTILLA *anserina biflora.*

Distinguitur foliis utrinque albo-sericeis et floribus geminis, minoribus.

Haec est Pentaphylloides incanum Tanaceti folio. Morison. Hist. I. Sect. 2. tab. 20. fig. 4. Nunquam vidi, sed solummodo ex hac icone nosco. Forsan distincta species? ulterioribus observationibus illustranda. Quoad iconem non modo inflorescentia, sed totus habitus differt. Nam caulis in hac erectus et ramosus, foliola lanceolata, sepalae integrae, praeter quod bracteae ad pedunculi subdivisionem adesse videantur. Forte haec Potentillae conformatio non amplius existit? Utique in Phytotypolithis tot observamus plantarum animaliumque formas, quarum originalia viva frustra investigamus. T.

POTENTILLA *anserina groenlandica.*

Distinguitur sarmentis longissimis, foliis minoribus paucijugis, petiolis foliolisque obovato-subrotundis, pinnatifido-serratis, supra glabris, rubro-virentibus, subtus niveis, pedunculis foliis longioribus, sepalis exterioribus linearibus integerrimis, interioribus ellipticis obtusissimis. T.

Vidi in herbario b. Fr. a Portenschlag lectam a Prof. Gisekeo. Similia quidem specimina vidi etiam a b. Wulfenio in Carinthia lecta; sed pedunculi erant breviores, folia multijuga et foliola supra pubescentia. An Schrankii (v. ej. fl. bavar. II. 46.) P. anserina β. minor huc referenda? Planta groenlandica autem ab utrisque differre videtur, climatis potentia alienata et propriis characteribus etsi minus gravibus, instructa. Ad hanc etiam specimina canadensia a b. Michaux ad lacum Champlain lecta, europaeis multo minora ac graciliora, sarmentis magis filiformibus (v. Nestl. Potent. p. 35. no. 11. ad finem!) pertinere videntur. S.

SERIES IV.

VESTIANA.

Herbae decumbentes, diffusae; folia pinnata, pinnulis brevibus irregulariter inciso-dentatis. Flores parvi, subsolitarii.

Species: P. supina. L. P. Heynii. Roth. P. Dombeyi. Nestl.

POTENTILLA *supina. L.*

P. caule decumbente dichotomo, foliis pinnatis, foliolis oblongis, inciso-serratis, pedicellis axillaribus solitariis. Lehmann.

Potentilla supina. Willd. Spec. pl. II. 1099. Pers. Syn. II. 54. Ait. h. k. ed. 2. III. 275. Nestl. Potent. p. 38. Lehmann. Pot. p. 42. no. 7. Roth. Tent. fl. germ. I. 222. Jacq. fl. austr. V. p. 3. t. 406. Loisel. fl. gall. I. 300. Smith. fl. graec. I. 351. no. 1176. All. fl. ped. II. no. 1775. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. I. 405. Suter. fl. helv. I. 306. Bess. fl. Gal. no. 605. Forsk. fl. aegypt. arab. 67. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. I. 356.

Potentilla prostrata. Haenke it. sudet. (in fid. Pohl. Tent. fl. boh. II. p. 181.

Potentilla Argentina supina. Lam. fl. fr. III. 119.

Potentilla Fragaria supina. Crantz. austr. fasc. 2. p. 73.

Caules ex una radice plures, teretes, decumbentes, subhirsuti, spithamei, pedales et longiores, foliosi, dichotomo-ramosi. Folia radicalia caulinaque inferiora petiolata, impari-pinnata; ramea subsessilia, ternata vel quinata. Foliola sessilia, opposita alternaque, oblonga, inciso-serrata, laete viridia, superiora basi decurrentia, pro soli et loci natura subglabra vel pubescenti-villosula. Stipulae ovatae, acutae, integerrimae. Pedicelli axillares, solitarii, ebracteati, tenuissimi, pilosi, in flore erecti, crescente fructu penduli. Calyces pilosi: folia exteriora oblonga, obtusiuscula, interiora paullo breviora, semiovata, acuta. Corolla parva, lutea: petalis patentibus, obovatis, versus basin angustatis, subintegerrimis, calycem aequantibus. Achenia rugulosa. Lehmann.

Hab. per totam fere Europam, exceptis regionibus borealibus, in Asia, Americaque septentrionali in pratis, agris locisque arenosis, ruderatis et lapidosis praesertim humectis. Floret per totam aestatem. (☉).

Magnitudine et directione ut et ramositate admodum variat. Vidi etiam specimina cano-pubescentia. Foliola nunquam vidi argute dentata vel serrata, sed semper inciso-obtuse-vel crenato-dentata. T.

POTENTILLA *Heynii. Roth.*

P. sericeo-pilosa, foliis quinato-pinnatis, longe petiolatis: foliolis obovato-cuneiformibus, inciso-dentatis, basi integerrimis, petalis calyce minoribus, caule erecto. Roth.

Potentilla Heynii. Roth. Nov. pl. spec. p. 235.

Tota planta pilis sericeis obsessa. Radix fibrosa, nigra, descendens. Caulis digitalis et palmaris oblique adscendens, erectus, filiformis, angulosus, inferne simplex, superne divisus. Rami breves alterni. Folia omnia alterna, longe petiolata, impari-pinnata, bijuga, sursum magnitudine decrescentia: inferiora duas uncias ad semidigitum longa; superiora et floralia vix semiuncialia. Foliola 3—4 lineas longa: omnia alterna, obtusissima, versus basin attenuata et integerrima, hinc cuneata, superne inciso-dentata; dentibus ovatis, obtusis, tenuissime crenulatis. Petiolus communis filiformis, duas ad tres uncias in inferioribus foliis longus, in superioribus brevior. Stipulae oppositae, lanceolatae, erectae, integerrimae, parvae. Flores axillares, solitarii, pedunculati, parvi. Pedunculi setacei, folio nunc breviores, nunc longiores, praesertim in supremis. Calycis foliola ovato-lanceolata. Petala oblongo-ovata, obtusa, calyce duplo fere breviora. Roth.

Hab. in India orientali, lecta a Heyneo. A Potentilla supina, cui proxime accedit, differt praecipue: 1.) pilositate; 2.) caule erecto, minus ramoso; 3.) foliis omnibus pinnatis; nec rameis ternatis; 4.) foliolis quinis; nec plerumque novenis; 5.) stipulis lanceolatis, nec ovatis; 6.) pedunculis fructiferis erectis, nec deflexis; 7.) floribus duplo minoribus. Roth. Adderem: 8.) dentibus foliolorum tenuissime crenulatis. T.

POTENTILLA *Dombèyi. Nestl.*

P. caulibus decumbentibus; foliis radicalibus, caulinisque nonnullis inferioribus quinato-pinnatis, reliquis ternatis; foliolis obovato-cuneatis, antice grosse dentatis; stipulis lanceolatis integerrimis. T.

Potentilla Dombeyi. Nestl. Potent. p. 38. tab. 5. f. 2. Lehm. Potent. p. 46. no. 9. Poir. Enc. Suppl. IV. 542.

Radix crassa, ramosa et fibrosa, extus fusca. Caules plures, simplices, humifusi, dodrantales et vix longiores: pilis patentibus instructi. Folia radicalia et caulina inferiora nunc quinato-pinnata: pinnis sessilibus oppositis, terminali majore, nunc ternata; reliqua semper ternata, brevius petiolata. Foliola sessilia obovato-cuneiformia, antice profunde serrata: pilis brevibus utrinque adspersa. Stipulae lanceolatae, integerrimae subpilosae. Flores in summis caulibus nonnulli, parvi, erecti, plus minusve pedicellati, bracteis lanceolatis suffulti, calycibus pedicellisque pilosis. Calycis foliola aequali longitudine, acuta, exteriora lanceolata, interiora ovalia. Corolla lutea: petalis calycem paullo superantibus. Achenia laevia. Lehmann.

Hab. in Chili. ♃. Detexit Dombey. Affinis P. supinae et sim. Folia radicalia non omnia pinnata, sed plura ternata, nonnulla etiam digitata. Stipulae magnae amplexicaules. Folia floralia simplicia paucidentata. T.

SERIES V.

BESSERIANA.

Plantae herbaceae, erectae, habitu quodammodo Gei; folia pinnata, multijuga, basi decrescentia; flores plus minus paniculati, lutei.

Species: P. geoides. M. B. P. Sprengeliana. Lehm. P. pimpinelloides. L. P. cicutariaefolia. Willd. P. agrimonoides. M. B. P. Biebersteiniana. T.

POTENTILLA *geòides. M. B.*

P. caule erecto, foliis pinnatis, foliolis subrotundis, sublobatis, hirsutis, extimis majoribus, calycibus obtusis corollam subaequantibus, stipulis multifidis. Lehmann.

Potentilla geoides. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. I. 404. Nestl. Potent. p. 37. Lehmann. Potent. p. 38. no. 4. tab. 2. Poiret Encycl. Suppl. IV. 537.

Potentilla fragarioides. Habl. taur. p. 147.

Geum potentilloides. Pall. ind. taur. p. 87.

Tota planta saturate viridis, molliter hirsuta: hirsutie subrufa. Caulis solitarius vel plures, suberecti, teretes, (in specimine sicco canaliculato-sulcati, spiraliter contorti! T.) dodrantales et longiores, pilis patentibus hirsuti, pauciflori. Folia radicalia patentissima, longitudine fere caulium, impari-pinnata, longe petiolata: petiolis basi vaginantibus. Folia caulina brevius petiolata, summa ternata, subsessilia. Foliola plerumque septem, interdum plura, opposita, brevi-petiolata, subrotunda, duplicato-crenata (in specimine sicco Steveniano potius inaequaliter, obtuse, inciso-dentata; in icone autem Lehmanniana saepe serrato-dentata! T.), superne sublobata: lobis 2—3 fidis, superiora sensim majora, latere superiori basi paullo breviora, supremum maximum, basi aequale (spatulatum T.). Stipulae incisae, multifidae. Flores erecti, plus minusve pedicellati, in summo caule paniculam subdichotomam constituentes, vix magnitudine florum Gei urbani. Foliola calycina aequali fere longitudine, exteriora lineari-lanceolata, obtusiuscula, 3—4plo angustiora, interiora ovato-oblonga, rotundato-obtusa, antice denticulata. Corolla lutea: petalis rotundato-obovatis, integerrimis, versus basin angustatis, erecto-patentibus, calyce paullo longioribus. Receptaculum pilosum: acheniis ovatis, glabris, fuscescentibus. Lehmann.

Hab. in Tauriae rupestribus, ad fontes rivi Salgir et in monte Tschaturdag, versus cacumen. Fl. Majo, Junio. ♃. Valde affinis P. Sprengelianae, a qua tamen praeter cetera differt sepalis apice denticulatis. T.

POTENTILLA *Sprengeliàna. Lehm.*

P. caulibus adscendentibus erectis, foliis pinnatis ternatisque, foliolis obovato-cuneatis, serratis, pubescentibus, extimis subrotundis majoribus, stipulis integerrimis. Lehmann.

Potentilla Sprengeliana. Lehmann. Potent. p. 49. no. 11 tab. 3.

Potentilla fragarioides. Consp. Potent. herb. Willd. in Magaz. d. Ges. naturf. Fr. z. Berlin. VII. ann. p. 285. (ex autopsia Pr. Lehmann herb. Willd.)

Caules 2—3, teretes, spithamei, pilosi, laterales adscendentes, intermedius erectus. Folia radicalia longitudine fere caulium, impari-pinnata, septenata, intermistis nonnullis foliis brevioribus ternatis; caulina brevius petiolata, ternata. Foliola opposita, brevi-petiolata, basi aequalia, inferiora obovato-cuneiformia, superiora tria multo majora, magis petiolata, obovato-subrotunda, omnia serrata, supra pubescentia, subtus et margine subpilosa, dorso pallidiora. Stipulae ovato-lanceolatae, integerrimae, margine pilosae. Flores in singulis caulibus 2—3, terminales. Calyces pilosi; foliolis lanceolatis, aequalibus. Corolla magna, aurea: petalis obcordatis calyce longioribus. Receptaculum hemisphaericum, villosum. Lehmann.

Hab. in Sibiria. ♃. Specimina P. geoidis a me visa simillima erant habitu P. Sprengelianae; sed differebant stipulis inciso-dentatis, foliis radicalibus omnibus pinnatis, sepalis apice denticulatis bracteisque inciso-serratis. Sine dubio affinitas maxima est inter P. geoidem et P. Sprengelianam. T.

POTENTILLA *pimpinèllòides. L.*

P. caule erecto, foliis pinnatis, foliolis aequalibus, subrotundis, dentato - serratis, stipulis incisis. Lehmann.

Potentilla pimpinelloides. Willd. Sp. pl. II. 1098. Ait. h. k. ed. 2. III. 275. Pers Syn. II. 54. Nestler. Potent. p. 32. t. 2. f. 1. Lehmann Pot. p. 40. no. 5.

Caules ex una radice plures, erecti, foliosi, simplices, superne in pedunculos paniculam constituentes divisi, pilisque patentibus, mollibus uti petioli instructi. Folia petiolata, erecto - patentia, impari - pinnata, 6 — 10 juga. Foliola aequali longitudine, alterna, utrinque tenuissime pilosa, subrotunda, dentato - serrata, serraturis in inferioribus foliis rotundato - obtusis, in superioribus acutis; inferiora (posteriora) foliola brevi - petiolata, summa confluentia magis oblonga. Stipulae profunde incisae, 3 — 4 fidae: laciniis lineari - lanceolatis. Flores in summo caule erecti, paniculam constituentes, pedicellati. Pedicelli filiformes, pilis densis mollibus patentibus villosi, inferiores elongati, superiores breviores, bracteis lanceolatis suffulti. Calyces basi villosi; foliola inaequalia, exteriora lanceolata, interiora semi - ovata, reliquis breviora. Corolla flava: petalis obcordatis calycem paullo superantibus. Receptaculum pilosum. Lehmann.

Hab. in Armeniae locis saxosis. ♃. Folia a basi ad medium usque pinnata, antice pinnatifida. Stipulae amplexicaules. Sepalae integerrimae, acuminatae. Flores magnitudine P. fruticosae. Petala levissime emarginata. Affinitas cum P. cicutariae-folia, et simill. T.

POTENTILLA *cicutàriaefolia. Willd.*

P. caule erecto, foliis pinnatis, foliolis cuneiformibus, profunde-dentatis, stipulis subintegris. Lehmann.

Potentilla cicutariaefolia. Willd. Sp. pl. II. 1098. Pers. Syn. II. 54. Poir. Enc. V. 587. Ait. h. k. ed. 2. III. 275. Nestl. Potent. p. 32. t. 2. f. 2. Lehm. Potent. p. 41. no. 6.

Radix simplex lignosa. Caules ex eadem radice plures, spithamaei et longiores, erecti, simplices, adpresso-pilosi. Folia pinnata multijuga, (foliis Erodii cicutarii simillima.) Foliola subaequalia, cuneiformia, superne profunde dentata, inferiora sessilia, opposita, superiora (anteriora) confluentia et decurrentia, utrinque pilis raris adspersa. Stipulae petiolares, ovali-(ovato) lanceolatae, acutae, integerrimae, rarius apice denticulatae, subpilosae. Flores erecti, bracteis foliolorum fere forma suffulti, in panicula terminali dichotoma, subcorymbosa dispositi. Calyces basi pilosi: foliolis (longitudine) aequalibus, ovali-lanceolatis (interioribus ovato-lanceolatis, exterioribus lineari-lanceolatis). Corolla flava: petalis calycem aequantibus, obovatis, laevissime emarginatis, patentibus. Receptaculum convexum, glabrum: acheniis minutis. Lehmann.

Hab. in Galatia. ♃.

POTENTILLA *agrimonòides. M. B.*

P. caule adscendente, foliis pinnatis utrinque pubescenti-villosis, foliolis obovato-oblongis, obtusis, inciso-dentatis, dentibus obtusis divaricatis, stipulis subintegris. Lehmann.

Potentilla agrimonoides. Marsch. Bieberst. fl. taur. caucas. I. 403. Nestl. Potent. p. 35. Lehm. Potent. p. 63. no. 20. Poir. Encycl. suppl. IV. 537. Icon (in fidem Marsch. Bieb. et Lehmanni) in Gmelini fl. sib. t. III. tab. 38., quae tamen in Erratis operis ipsius, iterum per errorem ad Potentillam quamdam pentaphyllam (forte P. opacam) citatur.

Caules plures adscendentes, teretes, dodrantales, superne ramosi, pilis patentibus mollissimis incanis tecti. Folia pinnata, inferiora longe petiolata, plerumque novenata, superiora sensim brevius petiolata, septenata, summa sessilia quinata. Foliola obovato-oblonga, rotundato-obtusa, utrinque pubescenti-villosa, mollissima, subtus canescentia, infima minima distantia, alterna, superiora sensim majora, opposita, interiore latere basi angustiora, extima basi decurrentia, subconnexa, inciso-dentata: dentibus divaricatis obtusissimis. Stipulae subulatae, integrae, rarius dente uno vel duobus exteriore latere instructae. Flores permulti in summo caule ramisque paniculati, magnitudine florum P. argenteae (in icone citato tamen duplo, imo triplo majores!). Receptaculum hemisphaericum villosum. Lehm.

Hab. in Armeniae ibericae montosis. ♃. Affinis P. pensylvanicae: an satis distincta a P. cicutariaefolia? Marsch. Bieberst. Ex descriptione abunde patet, hanc plantam P. cicutariaefoliae proxime affinem esse, et neque cum P. rupestri (uti rec. halens. voluit), neque cum P. sericea (ad mentem M. B. fl. taur. cauc. III. 354.) posse componi. Interea icon Gmelini aut mala esse debet, aut penitus ad aliam speciem, (forte P. tanacetifoliam?) respicere. T.

POTENTILLA *Bièbersteiniàna. T.*

P. foliis pinnatis, foliolis ovato-oblongis, obtusis, pinnatifidis, villosis, subtus subsericeo-tomentosis: inferioribus remotioribus diminutis, stipulis subbipartitis, caulibus adscendentibus. Marsch. Bieberst.

Potentilla agrimonoides. M. B. fl. taur. cauc. III. 354. Steven in mem. soc. nat. cur. mosq. III. 264. Catal. h. gorenk. a. 1812. p. 67. Besser Catal. h. crem. a. 1816. p. 109.

De hac specie ipse L. B. Marschall a Bieberstein sequentia refert: „Varietatem alpinam valde villosam atque canescentem: foliolis profundius incisis, in saxosis Caucasi orientalis ad torrentem Kussartschai lectam descripsit Steven l. c. ex qua affinitas hujus speciei cum P. sericea elucet. Mea definitio et descriptio ad specimina iberica, multo minus villosa, vix canescentia: foliolorum segmentis brevibus atque latioribus concinnata olim fuit. Pubes foliolorum prostrata (in praesenti mimirum!) caulium vero et pedunculorum patens. Stipulae plerumque profunde bipartitae: laciniis falcato-subulatis; rarius dente brevi ad basin auctae, aut indivisae. Flores P. argentea duplo fere majores petalis aureis subemarginatis, calyce paullo longioribus.“

Affinitas a M. B. expressa cum P. sericea, et ab eodem allegata definitio synonima Steveniana l. c. „foliis pinnatis: laciniis pinnatifidis, segmentis linearibus integerrimis villosis, subtus sericeo-tomentosis, caule adscendente“ praeter ceteras notas hoc loco repetitas sufficienter demonstrant, hanc speciem debere penitus aliam esse quam priorem ipsius P. agrimonoidem. Dixi itaque in honorem auctoris, cui prima hujusce speciei vestigia debeo. T.

SERIES VI.

WAHLENBERGIANA.

Plantae herbaceae erectae; folia radicalia pinnata, caulina ternata: foliolis lanceolatis, dentatis vel pinnatifidis; flores in summo caule subpaniculati, albi vel flavi.

Species: P. rupestris L. P. fragarioides. L.

POTENTILLA *rupèstris. L.*

P. caule erecto dichotomo, foliis radicalibus pinnatis, caulinis ternatis; foliolis (foliorum inferiorum) subrotundis, basi cuneatis, serrato-dentatis; stipulis indivisis. Lehmann.

Potentilla rupestris. Willd. Sp. pl. II. 1097. Pers. Syn. II. 54. Poir. Enc. V. 586. Ait. h. k. ed. 2. III. 274. Lapeyr. fl. pyren. 287. Hoffm. Deutschl. Fl. 1791. p. 178. Jacq. fl. austr. II. p. 91. t. 114. Smith fl. brit. II. 548. Engl. bot. XXIX. t. 2058. Nestl. Potent. p. 39. Lehm. Pot. p. 47. no. 10. Hornemann. h. hafn. II. 476.

Potentilla rubens. Moench meth. p. 657.

Radix lignosa, cylindrica, ramosa, extus fusco-nigricans. Caules plures erecti, teretes, striati, rubelli, subtilissime villosuli, superne in ramos dichotomo-divisi, pedales et sesquipedales. Folia radicalia caulinaque infima longe petiolata, impari-pinnata, septenata; caulina media quinata summa ternata, sessilia, opposita. Foliola subsessilia obliqua, inaequaliter serrato-dentata, pilis incumbentibus utrinque adspersa, venosa, in foliis pinnatis subrotunda, inferiora (posteriora) sensim minora, opposita alternaque, terminale maximum; in foliis ternatis subaequalia oblongo-ovata, acuta (omnia argute dentata et serrata. T.) Stipulae foliorum radicalium lanceolatae, caulinorum ovato-subrotundae (semipetiolares, inde bifidae, ceterum integerrimae T.) indivisae. Flores caulem et ramos terminantes pedicellati, erecti, bracteis instructi, pedunculis laxis, subtilissime villosulis. Calyces subhirsuti; foliola exteriora linearia breviora (nonnunquam incisa, dentata vel bifida T.) interdum excrescentia et incisa; interiora semi-ovata. Corolla magna (non major quam in Pot. alba T.) alba: petalis obovatis integerrimis (vidi tamen etiam leviter obcordatis! T.) calycem superantibus: Receptaculum pilosum: acheniis laevibus. Lehmann.

Hab. in Europae Sibiriaeque montosis subalpinis, in pratis locisque umbrosis lapidosis et rupestribus. Fl. Jun. et Jul. ♃.

POTENTILLA *fragarioides*. L.

P. flagellis reptantibus, foliis radicalibus pinnatis, caulinis ternatis, foliolis ovalibus (ovatis), argute serratis, sericeis, extimis majoribus confluentibus (contiguis), stipulis serratis. Lehmann.

Potentilla fragarioides. Willd. Sp. pl. II. 1096. Pers. Syn. pl. II. 54. Ait. h. k. ed. 2. III. 274. Gmel. fl. sibir. III. p. 182. no. 31. tab. 34. f. 2. Nestl. Potent. p. 37. Lehmann Pot. p. 50. no. 12. tab. 4.

Potentilla poteroides. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 286. (ex autops. Lehmann. herb. Willd.)

Radix fasciculata, extus fusca. Caules plures, teretes, laterales steriles, decumbentes, flagelliformes, reptantes, intermedii floriferi adscendentes et erecti, digitales, spithamaei, superne purpurascentes, pilis longissimis patentissimis villosi. Folia radicalia longe petiolata impari-pinnata, septenata, rarissime novenata; caulina brevius petiolata, ternata; petiolis villosis. Foliola sessilia, ovalia (potius ovato-lanceolata! T.), argute serrata, supra incumbenti-pilosa, subtus pilis confertioribus sericea, margine ciliata, inferiora multo minora, basi inaequalia, superiora tria confluentia.

Stipulae foliorum caulinorum magnae, lato-lanceolatae, acuminatae, superne serratae. Flores parvi in summis caulibus congesti, subcorymbosi, plus minusve pedicellati, bracteis suffulti. Calyces uti pedicelli dense villosi: foliolis aequali fere longitudine, exterioribus paullo latioribus, lanceolatis. Corolla lutea: petalis obovato-cuneiformibus integerrimis, calyce paullo longioribus. Receptaculum hemisphaericum villosum. Lehmann.

Hab. in Sibiria. ♃. Potius rosaefolia dicenda fuisset: cum Fragaria, praeter flagella, nihil commune habet. T.

SERIES VII.

HORNEMANNIANA.

Herbae mediocres, erectae; folia radicalia caulinaque pinnata: foliolis oblongis inciso-dentatis; flores terminales, cymoso-paniculati, lutei.

Species: P. pensylvanica. L. P. strigosa. Pall. P. filipendula. Willd. P. tanacetifolia. Willd. P. nudicaulis. Willd. P. Sanguisorba. Willd.

POTENTILLA *pensylvànica.* L.

P. caule erecto, stricto, foliis interrupte pinnatis, tenuissime tomentosis, foliolis majoribus oblongis, truncatis, inciso-serratis, minoribus integerrimis lacinias majorum aequantibus, stipulis subindivisis. Lehmann.

Potentilla pensylvanica. Willd. Sp. pl. II. 1099. Pers. Syn. II. 54. Poir. Enc. V. 588. Ait. h. k. ed. 2. III. 275. Mich. fl. bor. amer. I. 304. Pursh. fl. Amer. sept. I. 356. Jacq. hort. vind. II. 189.

Tota planta dense pilosa: pilis tenuissimis mollissimis incumbentibus. Radix lignosa, ramosa, extus fusca. Caules plures simplices, erecti, stricti, teretes, sesquipedales et longiores, tomentosi, subcanescentes. Folia interrupte pinnata, (in planta culta nunquam vidi interrupte pinnata, sed solum in specimine unico sibirico spontaneo! T.) supra viridia, subtus subcanescentia, subtilissime tomentosa, inferiora longe petiolata, petiolis supra planis. Foliola minora integerrima, lacinias majorum aequantia (subintell. in var. hispida! T.); majora 9—15, oblonga, inciso-serrata, inferiora alterna, superiora sensim longiora opposita, basi decurrentia, venis dorso prominentibus notata, suprema tria basi confluentia; laciniis margine paullulum reflexis; quarum tres terminales plerumque aequali fere longitudine; ita, ut foliola quasi truncata appareant. Folia caul. superiora brevi petiolata: foliolis 3—5, ceterum reliquis simillima. Stipulae lanceolatae, caulem amplectentes, indivisae, rarius in lacinias nonnullas profunde fissae. Flores plus minusve pedicellati, in panicula terminali bracteata. Calyx foliolis exterioribus lineari-lanceolatis, interioribus ovatis, acuminatis, subtriangularibus, in fructu apice coniventibus. Petala calyce paullo longiora obovata, emarginata. Receptaculum ovato-conicum: acheniis sub lente rugulosis. Lehmann.

Hab. in Canada et nova Anglia. ♃.

POTENTILLA *pensylvanica hispida.*

Distinguitur foliis radicalibus interrupte pinnatis, pilis patentibus nec incumbentibus, stipulis incisis nec integris, petalisque dilatatis obcordatis nec obovatis, calyce majoribus.

Hab. in Davuria. ♃. Ad testimonium Willdenowii characteres differentiales sub cultura persistunt. Adeoque forte plus quam varietas. (?) Est nempe P. hispida. Willd. Enum. I. 553. et Poir. Enc. bot. Suppl. IV. 538. Interea cel. Lehmann eam ut meram P. pensylvanicae varietatem considerat. T.

POTENTILLA *strigòsa. Pallas.*

P. cano-pubescens; foliis pectinato-dentatis, margine revolutis, floribus corymbosis. Pursh.

Potentilla strigosa. Pall. in herb. Lambert.

Potentilla pensylvanica β. strigosa. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. I. 356. Lehm. Potent. p. 55. Poir. Encycl. Suppl. IV. 543.

Potentilla foliis duplicato-pinnatis, venatis, valde exstantibus, subtus albicantibus, caule corymboso. Gmel. fl. sibir. III. p. 181. t. 34. f. 1.

Hab. in Sibiria, nec non ad Missurim fluvium in provincia Luisiana Amer. sept. ♃. Quoad iconem Gmelini et notas a Purshio tributas non potest esse eadem cum P. pensylvanica. Differt enim ab hac: 1.) caule subpedali; 2.) foliis margine revolutis, subtus albicantibus, non interrupte pinnatis; 3.) stipulis inciso-dentatis; 4.) floribus cymoso-paniculatis, confertis, illis P. pensylvanicae quadruplo minoribus. T.

POTENTILLA *filipendula. Willd.*

P. caule erecto, foliis interrupte pinnatis, patenti-pilosis, foliolis lanceolatis, pinnatifido-serratis, minoribus integerrimis, extimis confluentibus, stipulis incisis. Lehmann.

Potentilla filipendula. Conspect. Potent. herb. Willd. in Magaz. d. Ges. naturf. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 286. Lehmann Pot. p. 59. no. 16.

Caulis erectus, teres, simplex, sesquipedalis et longior, pilis longissimis, patentissimis, albis instructus. Folia petiolata, inferiora interrupte-pinnata, multijuga, superiora pinnata, summa ternata, utrinque laete viridia. Foliola sessilia, versus basin folii decrescentia; majora lanceolata, acute pinnatifido-serrata, margine subrevoluta, minora integerrima; omnia pilis patentibus longissimis adspersa, summa tria basi confluentia et decurrentia. Stipulae incisae, pilis longissimis patentibus adspersae. Flores pedicellati, erecti, parvi, bracteis suffulti, in panicula terminali subtrichotoma congesti: pedicellis calycibusque pilosis. Calycis foliola subaequalia, ovato-lanceolata. Corolla lutea: petalis calycem superantibus obcordatis, levissime emarginatis. Receptaculum albo-villosum: acheniis rugulosis mulattinis. Lehmann.

Hab. in Davuria. ♃. Admodum affinis videtur P. strigosae, a qua tamen differt: 1.) caule altiori; 2.) foliis utrinque laete viridibus, interrupte pinnatis; 3.) foliolis argute serratis. T.

POTENTILLA *tanacetifolia. Willd.*

P. caule adscendente, foliis pinnatis hirsutissimis, foliolis lanceolatis pinnatifido-serratis: summis oppositis, terminali petiolato; stipulis laciniatis. Lehmann.

Potentilla tanacetifolia. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. naturf. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 286. Lehm. Potent. p. 60. no. 17.

Radix fusiformis, lignosa, extus fusca. Caules 2—3 adscendentes, teretes, semipedales et longiores, pilis longissimis, confertissimis, patentibus, mollibus tecti. Folia radicalia pinnata, 4—6 juga, longe petiolata: petiolis hirsutissimis; caulina 2—3, brevius petiolata; summum sessile quinatum. Foliola lateralia sessilia, inferiora alterna, superiora (anteriora) sensim majora, opposita, terminale petiolatum; omnia lanceolata, pinnatifido-serrata, obscure viridia, utrinque hirsutissima, pilis ultra marginem longissime porrectis ciliata. Stipulae ovatae laciniatae, hirsutissimae. Flores plus minusve pedicellati, bracteis lanceolatis suffulti, in panicula terminali subcorymbosa, conferta dispositi. Calyx hirsutus: foliolis aequali fere longitudine, exterioribus linearibus, interioribus angusto-lanceolatis, acuminatis. Corolla pallide lutea: petalis obcordatis calyce duplo longioribus. Receptaculum convexum, albo-villosum. Lehmann.

Hab. in Sibiria interiori. ♃. P. strigosae et filipendulae quam proxime affinis videtur. T.

POTENTILLA *nudicaùlis. Willd.*

P. caule erecto, foliis pinnatis viscido-pubescentibus, foliolis lanceolatis, inciso-serratis, superioribus confluentibus, stipulis incisis. Lehmann.

Potentilla nudicaulis. Conspect. Potentillarum herb. Willd. VII. ann. p. 287. (teste Lehmanno autopta.)

Potentilla longifolia. Conspect. Pot. l. c.

Potentilla pensylvanica. Hornem. hort. hafn. II. 476. Willd. Enum. I. 553. (excl. Synon.)

Potentilla pubescens. Moench. Meth. p. 658. (excl. Synon.)

Potentilla dentata. Vitmann Summa plant. III. 270. Forsk. fl. aegypt. arab. p. 98. (fide herb. Vahl.)

Potentilla hispida. Nestl. Potent. p. 36. (excl. Willdenowii Synon.)

Potentilla viscosa. Donn. hort. cantabr. ed. 7. Lehmann Potent. p. 57. no. 15.

Caules plures simplices, erecti, stricti, pedales, sesquipedales et longiores, viscido-pubescentes. Folia inferiora imparipinnata, 3—5juga, longe petiolata, utrinque viscido-pubescentia. Foliola lanceolata, inciso-serrata, posteriora minora, alterna, anteriora opposita, basi confluentia, summum sessile, basi attenuatum. Stipulae petiolares, magnae, ovato-lanceolatae, plerumque incisae. Panicula terminalis foliosa, multiflora. Cal. foliola longitudine subaequalia, exteriora linearia, interiora semiovata acuminata. Corolla lutea: petalis obovatis, emarginatis calyce paullo brevioribus. Receptac. pilosum, acheniis laevibus. Variat pro soli et loci natura caule breviori, paucifloro, monophyllo, foliis magis pubescentibus, subtus canescentibus, stipulis subintegris. Ex Lehmanno.

Hab. in Davuria, Sibiria et Arabia. An omnia huc relata synonima legitima? Nomen Willdenowianum praetuli, utique antiquitate magis legitimum. T.

POTENTILLA *Sanguisòrba. Willd.*

P. caule erecto, foliis pinnatis utrinque glaberrimis, foliolis obovatis obtuse serratis, stipulis incisis. Lehmann.

Potentilla Sanguisorba. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. naturf. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 286. Lehm. Potent. p. 61. no. 18. tab. 5.

Radix cylindrica, lignosa, superne squamis fuscis tecta. Caules 2—3 erecti, teretes, semipedales et longiores, glaberrimi, superne purpurascentes. Folia utrinque glaberrima, profunde viridia, subtus pallidiora, patentia, radicalia longe petiolata, impari-pinnata, 3—4juga, caulina plerumque duo, infimum pinnatum, summum brevi-petiolatum quinatum. Foliola sessilia, obovata, profunde serrata: serraturis patentibus, rotundato-obtusis; infima foliola alterna, minuta, tridentata, superiora subopposita, sensim majora, summa cum terminali basi subconfluentia, paullulum decurrentia. Stipulae petiolares, vaginantes, incisae, glaberrimae. Flores in summis caulibus 1—2, brevi pedicellati, bracteis foliorum (foliolorum) fere forma suffulti. Calyces uti pedicelli glaberrimi: foliolis aequalibus, semiovato-lanceolatis. Corolla ochracea: petalis obcordatis, vix longitudine calycis. Receptaculum subglobosum, glaberrimum: acheniis glabris minutis. Lehmann.

Hab. in Sibiria. ♃.

SERIES VIII.

ROTHIANA.

Herbae variae erectae; folia inferiora pinnata: foliolis pinnatifidis, plerumque sericeis; flores in summo caule cymosi, lutei.

Species: P. arguta. Pursh. P. multifida. L. P. sericea. L. P. candicans. H. B. P. Humboldtiana. T. P. verticillaris. Willd. P. Egedii. Wormsk.

POTENTILLA *argùta. Pursh.*

P. caule erecto, foliis pinnatis, foliolis obovatis, pectinatim pinnatifidis, supra sericeo-argenteis, subtus niveo-tomentosis, stipulis rhomboideis incisis. Lehmann.

Potentilla arguta. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. II. 736. Poir. Enc. Suppl. IV. 538. Link Enum. h. ber. II. 63. Lehm. Pot. p. 62. no. 19.

Caules ex eadem radice plures, simplices, teretes, erecti, stricti, subtilissime tomentosi, canescentes, pedales et longiores. Folia inferiora longe petiolata, impari-pinnata: foliolis 5—7, sensim majoribus, obovatis, pinnatifidis; lateralibus oppositis sessilibus, terminali majore petiolato: segmentis oblongis; supra venosis sericeis et argenteis, subtus tomento densissimo niveo instructis. Folia superiora subsessilia, ternata, profundius pinnatifida. Stipulae rhomboideae, incisae. Flores in summo caule, erecti, in corymbos congesti, brevi-pedicellati, bracteis lanceolatis suffulti, pedicellis bracteis calycibusque incanis dense tomentosis. Foliola calycina aequali fere longitudine, acuta, exteriora lineari-lanceolata, interiora semiovato-lanceolata. Corolla aurea: petalis obovatis, integerrimis, calyce longioribus. Receptaculum pilosum; acheniis rugulosis. Lehmann.

Hab. in Luisiana. ♃. Similis habitu P. argenteae absinthiifoliae, vel ipsae Artemisiae Absinthio. Specimen, quod vidi siccum in herbario Dni. Neumayer plantam duplo majorem indicavit, quam supra descripta fuit. T.

POTENTILLA *multifida.* L.

P. caule decumbente, foliis pinnatis, foliolis oblongis pinnatifidis, supra glabriusculis subtus incanis, stipulis ovatis subintegris. Lehmann.

Potentilla multifida. Willd. Sp. pl. II. 1096. Pers. Syn. II. 54. Ait. h. k. ed 2. III. 274. Willd. Enumer. I. 552. Gmel. fl. sibir. III. p. 181. no. 29. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. III. 353. Lam. et Decand. fl. fr. IV. p. 456. no. 3734. Suter flor. helv. I. 305. Nestl. Potent. p. 33. Lehmann Pot. p. 64. no. 21. (per sphalma sub noe. P. supinae.)

Caules ex una radice plures, simplices, superne in ramos nonnullos divisi, adscendentes vel decumbentes, spithamaei et pedales (vidi semper 1—2 pedales, imo altiores. T.) pubescentes. Folia impari-pinnata, inferiora longe petiolata, 2—3 juga, superiora brevi-petiolata, bijuga, foliolo impari, terminali majore. Foliola sessilia, opposita alternaque, oblonga, pinnatifida: segmentis oblongis integerrimis; superiore facie laete viridia, glabriuscula, dorso tomentosa, incana. Stipulae ovatae subintegrae, subtus incanae. Flores in summo caule erecti, subcorymbosi, bracteis lanceolatis suffulti: pedicellis calycibusque pilosis. Calycis foliola aequali longitudine acuminata, exteriora linearia, interiora semi-lanceolata. Corolla parva, lutea: petalis obcordato-cuneiformibus calycem vix superantibus. Receptaculum pilosum, acheniis rugulosis. Lehmann.

Hab. in Sibiria, Tataria, Caucaso, Cappadocia, in Pedemontio, Helvetia, Suecia etc. ♃. Vidi specimina bipedalia multiflora P. argenteae subsimilia, foliis superioribus digitatis, nec pinnatis; vidi laciniis foliolorum latioribus, stipulisque dilatatis dentatis et oblongis subulatis. Vidi praeterea in herbario Portenschlagiano aliud specimen sub hoc homine, foliis superioribus quinato-pedatis, foliolis pectinato-pinnatifidis, supra pubescentibus, subtus albo-tomentosis; cum vero pars inferior et folia radicalia penitus deficerent, pro certo denominare vel declarare nequeo. T.

POTENTILLA *sericea*. L.

P. caule adscendente paucifloro, foliis pinnatis, foliolis ovatis pinnatifidis, utrinque tomentosis, subtus incanis, stipulis lanceolatis integerrimis. Lehmann.

Potentilla sericea. Willd. Spec. pl. II. p. 1095. Pers. Syn. II. 54. Ait. h. k. ed. 2. III. 274. Nestl. Monogr. de Potent. p. 34. Lehm. Pot. p. 66. no. 22 tab. 6. Poir. Enc. bot. V. 585.

Radix subsimplex lignosa. Caules plures simplices, adscendentes, digitales, spithamaei et longiores, teretes, villosi, canescentes, folio unico vel duobus patentibus instructi. Folia petiolata, pinnata, multijuga, utrinque tomentosa, supra pallide viridia, juniora sericea et canescentia, subtus incana. Foliola sessilia, ovata, pinnatifida; segmentis parallelis, approximatis, margine relovutis. Stipulae petiolares, ovato-lanceolatae, acuminatae, integerrimae. Flores in singulis caulibus 2—5, superne laterales et terminales, pedicellati, bracteis incisis suffulti. Calyces uti pedicelli villoso-tomentosi: foliola exteriora multo minora brevioraque, linearia, interiora semiovata, acuminata, longitudine petalorum. Corolla lutea: petalis obcordatis. Receptaculum lanuginosum. Lehmann.

Hab. in Sibiria. ♃. Vidi sub noe: P. multifidae, a qua tamen differt toto habitu et magnitudine saepe vix digitali, segmentis foliolorum relative latioribus acutiusculis, supra canescentibus, floribus paucis, 3 — 4, cymosis, et petalis calyce majoribus. T.

POTENTILLA *candicans. Humb. Bonpl.*

P. caule adscendente paucifloro, foliis inordinate pinnatis, foliolis inaequalibus profunde pinnatifidis (potius pectinato-pinnatifidis) utrinque sericeis, candicantibus, stipulis incisis integrisve. Lehmann.

Potentilla candicans. Humb. et Bonpl. in lit. Nestl. Pot. p. 34. tab. 3. fig. 2. Lehm. Potent. p. 67. no. 23. Poiret Enc. Suppl. V. 542. Conspect. Potent. herb. Willd. in Magaz. d. Ges. naturf. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 285.

Radix crassa, extus fusca, superne reliquiis foliorum praeteritorum annorum instructa. Caules 2—3, simplices, adscendentes vel erecti, teretes, pedales, canescentes uti tota planta pilis confertissimis subtilissimis incumbentibus Folia utrinque sericea et candicantia, radicalia longe petiolata, erecto-patentia, inordinate pinnata, multijuga; caulina distantia sensim breviora, summa sessilia ternata. Foliola inaequalia, confertissima, nunc alterna nunc opposita, altero plerumque minore; majora profunde pinnatifida: laciniis linearibus, acutis, pectinatim dispositis; minora subtripartita. Stipulae petiolares, ovato-lanceolatae, acutae, plerumque incisae, rarius integrae. Flores in singulis caulibus 2—4, (in icone citata plures dichotomo-paniculati!) terminales, et superne laterales, longe pedicellati, patentissimi, bracteis incisis suffulti. Calyces piloso-tomentosi: foliolis exterioribus lineari-lanceolatis, reliquis multo minoribus, et dimidio brevioribus, interioribus semiovatis, acuminatis. Corolla lutea: petalis spatulato-obcordatis, calyce paullo longioribus. Receptaculum hemisphaericum, villosum: acheniis subglabris mulattinis. Lehmann.

Hab. in excelsis umbrosis prope vicum mexicanum Tianguillò, regione frigida inter Mexico et Toluca, altitudine 1505 hexapodarum. Floret Septembri. ♃.

POTENTILLA *Humboldtiàna.* *T.*

P. caulibus decumbentibus paucifloris, foliis imbricato-pinnatis, stipulis amplexicaulibus, ovato-lanceolatis integris, pedunculis folia radicalia non excedentibus. T.

Potentilla nana. Humb. et Bonpl. ined.

Potentilla candicans β. **nana.** Nestl. Potent. p. 34. tab. 4. fig. 2. Lehmann Potent. p. 67. Poir. Encycl. bot. Suppl. V. 542.

Quoad iconem citatam caudex crassus, stipulis seu rudimentis foliorum demortuorum imbricatus. Folia radicalia cespitosa subsessilia, decumbentia, vix bipollicaria, imbricato-pinnata, multijuga, foliolis pectinato-pinnatifidis, ceterum illis P. candicantis simillimis. Caules plures decumbentes, foliis radicalibus breviores, 2—3 foliis similibus instructi. Flos 1 vel 2, terminales, brevi-pedicellati, illis P. candicantis fere triplo minores, ceterum similes. Petala vix emarginata. T.

Hab. in regno mexicano juxta vicum S. Augustin de las Cuevas et in devexis montis El Guarda, in via ad portum Acapulco; altitud. 1200—1400 hexap. regione subfrigida. Floret Aprili. ♃.

Cel. Prof. Nestler et Lehmann hanc quidem pro mera P. candicantis varietate pusilla declarant. Interea praeter differentias explicatas, et praesertim ingentem illam habitus, diversitas loci natalis stationisque, et auctoritas Humboldti, qui utrasque vivas et spontaneas observavit, mihi diversitatem specificam persuadent, quae forte olim ab ipso demonstrabitur, dum ejus speciosissimum opus N o v a g e n e r a e t s p e c i e s ad hanc familiam usque perfectum fuerit. P. Humboldtiana se habet ad P. candicantem ut Artemisia glacialis ad Artemisiam Absinthium. Interea statio P. candicantis (plantae majoris!) 100—300 hexap. altior est illa P. Humboldtianae.

Cum jam existat alia P. nana Willd., debuit nomen ill. peregrinatorum alienari. Dedi itaque consueto more venerabile nomen ipsius detectoris. T.

POTENTILLA *vèrticillàris. Willd.*

P. caule adscendente, foliis pinnatis, foliolis angusto-linearibus, subtus niveo-tomentosis, margine revolutis, geminatis, terminali trifido; stipulis incisis. Lehmann.

Potentilla verticillaris. Willd. Sp. pl. II. 1096. Pers. Syn. pl. II. 54. Poiret. Enc. V. 586. Willd. Enumer. I. 552. Nestl. Potent. p. 33. Lehm. Potent. p. 69. no. 24.

Pentaphylloides humile foliis angustissimis. Gmel. fl. sibir. III. p. 181. no. 28. Amman. Stirp. rar. ruth. p. 86. no. 113. tab. 16.

Caules ex una radice plures, simplices, laterales adscendentes, intermedii erecti, teretes, digitales, tomentoso-villosi, incani. Folia radicalia longe petiolata, longitudine caulium, pinnata; caulina subsessilia ternata. Foliola sessilia, linearia, supra viridia, villosa, subtus niveo-tomentosa, integerrima, margine revoluta: lateralia distantia, opposita, geminata, subverticillata, terminale trifidum. Stipulae lanceolatae, incisae, subtus niveo-tomentosae. Flores 3—6, in summis caulibus congesti (in icone citato non nisi 1—2), parvi, plus minusve pedicellati, subcorymbosi, bracteis linearibus suffulti, ante anthesin nutantes, post florescentiam erecti: pedicellis niveo-tomentosis. Calyx tomentoso-villosus, incanus: foliolis exterioribus brevioribus, linearibus, interioribus semiovatis, acutis. Corolla lutea: petalis obovatis, integerrimis, calyce paullo longioribus. Receptaculum hemisphaericum lanatum: acheniis rugulosis pro planta permagnis. Lehmann.

Hab. in Sibiria. ♃. Affinis P. sericeae. T.

POTENTILLA *Egèdii. Wormsk.*

P. caule brevissimo subramoso, foliis pinnatis: foliolis ovalibus, pinnatifido-incisis, glaberrimis, pedicellis axillaribus solitariis folio longioribus, stipulis integerrimis. Lehmann.

Potentilla Egedii. Wormsk in fl. dan. IX. fasc. 27. p. 5. t. 1578. Lehm. Potent. p. 74. no. 26. C. Spreng. Neue Entd. I. p. 71.

Caules ex eadem radice plures, brevissimi, pollicares, glaberrimi. Folia in singulis caulibus 2—4, congesta, impari-pinnata, petiolata: petiolis basi vaginantibus. Foliola 3—6juga, sessilia, utrinque glabra, laete viridia, inferiora alterna, integra vel trifida, superiora majora, opposita, ovalia, inciso-pinnatifida: laciniis lanceolatis acutis. Stipulae petiolares membranaceae, integerrimae, glaberrimae. Pedicelli erecti e centro foliorum, solitarii, crassitie petiolorum, foliis longiores, pilis patentibus praesertim superne adspersi. Calyx dense pilosus: pilis incumbentibus; foliola exteriora breviora late-ovalia, obtusiuscula; interiora lanceolata. Corolla magna lutea: petalis obovatis integerrimis foliolorum calycinorum duplici longitudine. Lehmann.

Hab. prope Holsteinborg in Groenlandia. ♃. Proxima, etsi etiam ab hac distinctissima, P. verticillari. T. Hans Egede Gamle Groenlands nye Perlustration, figura infima intermedia in tabula quae plantas continet (mala). Lehmann. Ergo potius P. Egedei dicenda esset. T.

SERIES IX.

TENOREANA.

Herbae variae, multiflorae; folia digitata: foliolis plus minus dissectis, subtus canescentibus; flores minores, flavi.

Species: P. virgata. Lehm. P. argentea. L. P. calabra Ten. P. canescens. Bess. P. ornithopoda. Tausch. P. Dethomosii. Ten. P. inclinata. Vill. P. geranioides. Willd. P. intermedia. L. P. Güntheri. Spreng.

POTENTILLA *virgàta. Lehm.*

P. caule erecto virgato, foliis novenatis septenatisve, foliolis lanceolatis, pinnatifidis, supra glabris, subtus niveo-tomentosis, corollis parvis, petalis obovatis integerrimis. Lehmann.

Potentilla virgata. Lehmann. Pot. p. 75. no. 27.

Caules plures, erecti, teretes, sequipedales et longiores, pubescentes, superne in ramos virgatos, multifloros, laxos divisi. Folia radicalia novenata, septenataque longissime petiola; caulina sensim brevius petiolata, infima septenata, superiora quinata, summa sessilia ternata. Foliola sessilia, lanceolata, pinnatifida, exteriora multo minora, supra viridia, glaberrima, (vidi tamen etiam ope microscopii pubescentia! T.) subtus niveo-tomentosa: laciniis patentibus, lanceolatis, acuminatis. Stipulae lineari-lanceolatae, acuminatae, subtus niveo-tomentosae. Flores permulti, parvi, in summis ramis paniculati, bracteis linearibus suffulti: pedicellis filiformibus elongatis, laxis, incumbenti-pilosis. Calyces basi pilosi: laciniis exterioribus linearibus, minutis, interioribus lanceolatis acutis. Corolla pallide-flava: petalis obovatis, integerrimis, calyce duplo longioribus. Receptaculum villosum: acheniis albicantibus. Lehmann.

Patria ignota. Cel. prof. Lehmann l. c. in Erratis dicit, iconem huc referendam existere in Novis actis Acad. Leopold. Carolin. Nat. Cur. Tom. X. Sed frustra ibidem quaesivi. In eodem tomo existit quidem ejusdem diss. de Trichothalamo, p. 585—588. c. icone, sed de P. virgata ne verbum quidem invenio. Sic pariter in ejusdem Monographia generis Potentillarum in indice indicatam (sine numero et pagina) video P. lignosam Trichothalamum lignosum Ejusd.) nullibi vero in ipso opere commemoratam invenio. T.

POTENTILLA *argèntea. L.*

P. caule adscendente, foliis quinatis, foliolis cuneiformibus superne incisis, margine revolutis, subtus candido-tomentosis, petalis retusis calyce paullo longioribus. Lehmann.

Potentilla argentea. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 712. Sturm Deutschl. Fl. 1te Abth. V. Bieb. fl. taur. cauc. I. 407. Wallroth Sched. crit. I. 237. Nestl. Potent. p. 48. Lehm. Pot. p. 94. no. 38. (cum plur. Synon.)

Radix lignosa ramosa multiceps. Caules adscendentes vel erecti pro soli et loci natura digitales, spithamaei, pedales et longiores, firmi, superne ramosi, teretes, purpurascentes, leviter tomentosi. Folia alterna, inferiora petiolatá, superiora sessilia, quinata, summa ternata. Foliola sessilia cuneiformia, superne irregulariter incisa, in summis foliis subtrifida, superiore pagina nunc profunde viridia et subglabra, nunc dense pilosa, dorso candido-tomentosa, margine paullulum revoluta. Stipulae ovatae, longe-acuminatae, in eadem stirpe integrae et incisae, subtus tomentosae. Flores permulti, erecti, in summo caule corymbum (cymam) confertum constituentes, bracteis linearibus integerrimis suffulti: pedicellis calycibusque albo-tomentosis. Corolla parva lutea: petalis obcordatis calycem plus minusve superantibus. Receptaculum villosum, acheniis rugulosis. Lehmann.

Hab. per totam Europam et Asiam orientalem in que America septentrionali, praesertim ad vias, in collibus siccis locisque sterilibus apricis. ♃. Planta plurimis anomaliis obnoxia, quae non semper a soli vel temperaturae natura dependent, cum non raro in uno eodemque individuo diversissimas formas et sibi contraria attributa observamus. Ex his autem anomaliis sequentes ut subspecies observari merentur: α.) impolita; β.) Linnaeana; γ.) absinthiifolia; δ.) discolor, et ε.) multifida. T.

POTENTILLA *argentea impolita.*

Distinguitur foliolis suboblongis pectinatim incisis, utrinque villosis: laciniis subserratis, stipulis (ad mentem Wahlenbergii!) pinnatifidis, caule erecto cymoso.

Haec est P. impolita Wahlenb. (fl. carp. p. 155. no. 507. quam dicit esse per omnem Austriam frequenter obviam, et specie differre a P. argentea Linnaei. Habitus ejus strictus. Foliolorum laciniae valde patentes serraturis paucis iterum praeditae. Innumera examinavi specimina; sed stipulas nunquam vidi pinnatifidas. Quod autem pilositatem et lacinias adtinet, in iisdem individuis saepissime vidi foliola superiora supra subtomentosa vel saltem pubescentia, inferiora glabra; laciniae paucae, 3—7, P. argenteam praeprimis a P. canescente distinguunt: sed in eadem planta foliola observantur apice dissecta, imo multifida, et alia tantummodo dentata, imo nonnulla truncata subintegerrima. Laciniae in dissectis plerumque patentes in nonnullis tamen flabellati et approximati sunt. Magnitudo quoque foliorum et totius plantae mirifice variat, uti et habitus, qui modo erectus et simplex, modo ramosissimus, procumbens ac diffusus est. T.

POTENTILLA *argentea. Linnaeana.*

Distinguitur (ad mentem Wahlenbergii!) foliolis lanceolato - cuneiformibus, apice incisis, subtus niveo-tomentosis, supra glabriusculis, stipulis integris.

Hanc cel. Prof. Wahlenberg dicit habitare in Germania septentrionali. Icon Florae dan. V. 865. eandem repraesentare videtur. Et si haec icon bona, tunc species sine dubio a nostra penitus diversa: in hac enim foliola non modo antice sed toto ambitu inciso-dentata, dentes vero porrecti et nullo modo divaricati sunt. Ceterum etiam nos habemus P. argenteam caule erecto, imo stricto, foliolis supra glabris, lanceolato - cuneiformibus: sed in hac laciniae non differunt ab omnibus aliis. T.

POTENTILLA *argentea absinthiifolia.*

Distinguitur caule erecto altiori tomentoso; foliis, stipulis, bracteis calycibusque utrinque cano-tomentosis. T.

Forma foliolorum ut in P. arg. impolita, laciniis terminalibus paucis patulis, terminali modo porrecta, modo breviori. Planta elegans, tota canescens ut Artemisia absinthium. Huic proxima Wallrothii P. arg. γ. dissecta foliolis in lacinias lineares plus minusve profunde dissectis supra incanis, subtus cauleque erectiusculo niveo-tomentosis. Wallr. Sched. crit. p. 237. Etiam in hac laciniae modo acutae modo obtusae, et stipulae modo incisae vel dentatae modo integerrimae sunt. T.

POTENTILLA *argentea discolor.*

Distinguitur caule subsimplici nonnunquam bipedali, foliis maximis supra glabris, obscure viridibus, subtus niveo-tomentosis, laciniis foliolorum acuminatissimis patulis. T.

Habitus Artemisiae vulgaris. Foliola divaricata angusta, sed non multum dissecta, laciniis plerumque tribus. Huic adspectu similem sed foliis multo minoribus instructam vidi varietatem, cujus foliola etsi supra obscure viridia tamen dense tomentosa et in lacinias plures (inferiorum in 9—11) divisa sunt. T.

POTENTILLA *argentea multifida.*

Distinguitur foliolis tenuissime dissectis, notabiliter margine revolutis, laciniis subdivisis, supra virentibus pubescentibus, subtus cano-tomentosis, floribus numerosissimis exiguis, petalis calyce duplo majoribus. T.

Haec non est P. arg. dissecta. Wallr. sed potius ad P. arg. impolitam accedit. Caules diffusi semipedales vel parum altiores, rigidi, atro-purpurei, cano-tomentosi. Folia parva, laciniae acuminatissimae, stipulae integerrimae, laciniae calycis exteriores interioribus minores et angustiores sunt, et petala extus fuscescentia. Non rara in pratis siccis glareosis Austriae. T.

POTENTILLA *calàbra. Ten.*

P. foliis quinatis cuneiformibus multifidis: laciniis lineari-obtusiusculis supra incanis, subtus candide tomentosis, caule prostrato, petalis calyce longioribus, receptaculo villoso. Tenore.

Potentilla calabra. Ten. Synops. nov. pl. p. 51. Ej. Prodr. sup. II. p. 67. Ej. Fl. neap. I. p. 287. t. 45. Lehm. Pot. p. 194.

Radix crassa lignosa, extus nigro-fusca, multiceps. Caules plures digitales usque semipedales plus minus procumbentes vel adscendentes graciles, flexuosi, rigidiusculi, albo-tomentosi. Folia radicalia et inferiora caulina longe petiolata. Stipulae lineari-lanceolatae, divergentes. Folia quinata parva illis P. argenteae simillima sed minora. Foliola inaequalia usque ad basin in 2—4 lacinias obtusas dissecta, supra cano-pubescentia, subtus niveo-tomentosa. Folia superiora brevi-petiolata, summa sessilia. Cyma terminalis multiflora. Bracteae incisae, pedicelli et calyces cano-tomentosi. Calycis laciniae interiores majores, semiovatae, acutae; exteriores minores ellipticae obtusae. Petala lutea, calyce majora, obcordata, leviter emarginata. T.

Hab. in saxosis montium Calabriae; al Pollino, alla Sila; a monte Cucuzzo etc. nec non in Siciliae montibus nebrodensibus, unde attulit Heckel. 1821. ♃. Penitus similem obtinui a Dno. Thomas ex Helvetia sub nomine P. multifidae. Differt tantum stipulis late-semiovatis et calycis laciniis omnibus acutis: haec posset dici subspecies P. calabrae, quae foliolis ad basin usque dissectis sufficienter a P. argentea differre videtur. An hujus loci P. argentea γ. dissecta? Wallroth. Sched. crit. p. 237. — T.

POTENTILLA *canèscens. Bess.*

P. caule erecto multifloro, foliis quinatis, foliolis oblongo-cuneiformibus profunde serratis, supra adpresso-pilosis, subtus canescentibus, tomentosis, petalis obcordatis calyci aequalibus. Lehmann.

Potentilla canescens. Besser Primit. flor. gal. austr. I. 330. De Cand. fl. franç. VI. 541. Schult. österr. Fl. ed. 2. II. 85. no. 1885. Poir. Encycl. Suppl. IV. 538. Nestl. Potent. p. 47. Lehm. Potent. p. 92. no. 37.

Potentilla intermedia. Wahlenb. fl. carpath. p. 154. no. 506.

Potentilla inclinata. Bieberst. fl. taur. cauc. (excl. Syn.) I. 407.

Radix profunde descendens extus fusco-nigra. Caules plures, adscendentes, simplices, pedales bipedales et longiores, graciles, purpurascentes, tomento tenui canescentes, intermixtis pilis longioribus. Folia radicalia longe petiolata pentaphylla, caulina alterna brevius petiolata, summa sessilia ternata. Foliola obovata, basi cuneata, inciso - pinnatifido - non raro duplicato - serrata, serratura terminali prominula, supra viridia pilis incumbentibus adspersa, subtus cano-tomentosa, margine villoso-ciliata. Stipulae ovato-lanceolatae, nunc integrae nunc incisae, ceterum foliolis conformes. Cyma dichotomo-multiflora, pedunculis elongatis in axillis dichotomiarum, reliquis brevibus per florescentiae stadium elongandis. Calyces canescenti-villosissimi, praesertim basi: foliolis exterioribus ab initio brevioribus, tandem omnibus aequalibus, lineari-lanceolatis, Corolla intus saturate lutea, extus plerumque fuscescens, magnitudine circiter P. vernae, petalis obcordatis, leviter emarginatis, calyce nonnunquam vix, alias tamen fere duplo majoribus. Gynophorum subconicum pilosum: akeniis rugulosis fuscescentibus. T.

Hab. in collibus apricis Austriae, Hungariae, Galiciae, Volhyniae et Podoliae. Media quasi inter P. pilosam et argenteam, a P. recta vero maxime distincta, etiam ab illa, quae in b. Jacquini fl. austr. depicta et vera P. recta est, etsi cel. Prof. Lehmann hanc iconem ad P. canescentem citat. Dentes foliolorum in Pot. canescente obtusi, et foliola canescenti-pilosa primo intuitu hanc a P. recta distinguunt. T.

POTENTILLA *ornithopòda. Tausch.*

P. foliis quinato-subpinnatis, subtus incanis; foliolis pinnatifidis approximatis; terminalibus tribus elongatis; caule adscendente. Tausch.

Potentilla ornithopoda. Tausch. Hort. Canal. I. fasc. 1. tab. 10.

Radix perennis rhizomatoidea, vertice squamis fuscis tecta. Caulis intrafoliaceus adscendens, fructifer saepe declinatus, apice dichotomo-corymbosus (cymosus), teres, foliosus, tomento brevissimo subcanescens. Folia radicalia (quod tamen ex icone non apparet) subpinnata (pinnatisecta), foliolis 5, aut raro 2 minimis accedentibus, approximatis, tribus terminalibus pari inferiore longioribus, basi decurrentibus; petiolo supra sulcato, vix piloso: caulina alterna, remota petiolata, stipulata; inferiora quinato-subpinnata, superiora ternata, floralia integra (in icone minime integra, sed subsimplicia, inciso-lobata, et dentata). Foliola oblongo-lanceolata, pinnatifida, laciniis lanceolatis, integerrimis, decurrentibus, supra rugosa, glabra, subtus nervosa, cano-tomentosa. Stipulae ovatae, acuminatae, inciso-dentatae, petiolo adhaerentes. Flores parvi, conferti: pedicellis canescenti-tomentosis. Calyx patens (10-fidus, laciniis interioribus semiovatis, acuminatis, exterioribus linearibus, fere longioribus), canescens, persistens. Petala 5 obovata, emarginata, unguiculata, longitudine calycis, flava. Receptaculum (gynophorum) cylindricum, villosum: Cariopsides (?) subreniformes, rugosae. Tausch.

Hab. in montosis Caucasi, unde semina nomine P. multifidae in hortum universitatis pragensis pervenerunt. ♃. Fructificat Majo et Junio. Planta haec quam maxime affinis est P. canescenti, a qua vix specie differt, etsi cultura magnopere adaucta fuerit. T.

POTENTILLA *Dethomosii. Tenore.*

P. foliis quinatis, radicalibus rariter septenatis, foliolis obovatis grosse dentatis, utrinque sericeo-villosis, supra virescentibus, subtus incanis, caule suberecto corymbifero, receptaculis hirsutis, petalis subrotundis, emarginatis luteis. Tenore.

Potentilla Dethomosii. Ten. Synops. nov. pl. quae in Prodr. Fl. neapol. ao. 1811—13 edito describuntur. Neap. 1815. p. 50. Prodr. sup. I. p. 61. Fl. neap. I. p. 285. tab. 44. Lehm. Potent. p. 193.

Potentilla Tommassii. Dietr. Lex. Nachtr VI. 497.

Media inter P. rectam et argenteam. A P. argentea differt foliis dentatis, non incisis; corymbis compactis, petalis emarginatis, magnitudine florum, nec non sericea hirsutie totius plantae. Tenore.

Hab. in monte Pollino. ♃. Proxima sine dubio P. canescenti. Sed habitu et forma praesertim foliorum caulinorum (radicalia enim non vidi!) P. rectam imitat. Stipulae magnae, ovatae, attenuatae, integrae, rarius subsinuato-dentatae. Corolla calyce fere minor. T.

POTENTILLA *inclinàta. Vill.*

P. caule adscendente tomentoso, apice divaricato-dichotomo; foliis quinatis, foliolis obovatis, supra sericeo-pubescentibus subtus cinerascenti-tomentosis, grosse serratis; corollis calyci aequalibus. T.

Potentilla inclinata. Villars fl. delph. III. 567. tab. 45. Willd. Sp. pl. II. 1102. Pers. Syn. II. 54. Poir. Enc. V. 591. De Cand. fl. franç. IV. 461. no. 3746. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. III. 357.

Radix crassa fusca; caules plures adscendentes, purpurascentes, cinerascenti-villosi, rigidiusculi, filiformes 3—10 uncias longi. Folia radicalia et caulina inferiora longe petiolata, quinata, summa sessilia ternata, parva, foliolis obovatis, obtusis, serratis, serraturis copiosis acutiusculis, terminali lateralibus non longiore, supra fuscescenti-viridibus, adpresso-pubescentibus, subtus cinereo-tomentosis. Stipulae ovato-lanceolatae, acuminatae, extus villosae. Cyma bifida, divaricata, 7—8 flora, pedicellis reclinatis. Bracteae incisae. Calyces villosi, sepalis lineari-lanceolatis, exterioribus paullo brevioribus et angustioribus. Corolla calyce paullo major, petalis intus aureis extus fuscescentibus, levissime emarginatis, obcordatis. Gynophorum convexum, basi pilosum. T.

Hab. circa Sigoyer in Delphinatu, nec non in Tauria circa Perecop. ♃. Similis P. canescenti, sed minor ac tenerior. Foliola non tam profunde incisa, nec dente terminali prominulo, nec subtus canescentia sed cinerascentia et inflorescentia toto coelo diversa. A P. opaca vero differt caule rigidiusculo magis erecto et inflorescentia. T.

POTENTILLA *geraniòides. Willd.*

P. caule decumbente, foliis septenatis quinatisque, foliolis cuneiformibus, subpalmato-pinnatifidis, prolixe pilosis, laciniis linearibus, petalis obcordatis calyce paullo longioribus. Lehmann.

Potentilla geranioides. Willd. Sp. pl. II. 1101. Pers. Syn. pl. II. 54. Poiret Encycl. b. V. 590. Nestl. Pot. p. 47. tab. 5. fig. 1. Lehm. Potent. p. 87. no. 34.

Caules ex eadem radice plures, teretes, decumbentes, digitales, piloso-villosi. Folia radicalia quinata, septenataque, caulina inferiora quinata, superiora ternata, subtus praesertim pilis longissimis mollibus albis patentibus adspersa. Foliola sessilia, exteriora multo minora, cuneiformia, antice palmato-pinnatifida; laciniae lineari-lanceolatae, obtusiusculae, in foliolis exterioribus inaequales. Stipulae parvae, petiolares, lanceolatae, integerrimae, subtus villosae, in foliis radicalibus membranaceae. Flores in singulis caulibus 3—4, terminales, parvi, pedicellati, bracteis incisis suffulti: pedicellis dense villosis. Calyces lanuginoso-villosi: foliolis aequalibus lanceolatis. Corolla lutea: petalis obcordatis calyce paullo longioribus. Receptaculum hemisphaericum villosum. Lehmann.

Hab. in Syria et Armenia. ♃. Affinitas P. laciniosam quodammodo tangit, et est quasi specimen diminutum ejusdem.

POTENTILLA *intermèdia. L.*

P. foliis radicalibus quinatis, caulinis ternatis, caule erectiusculo ramosissimo. Linn.

Potentilla intermedia. Linn. Mant. p. 76. Willd. Sp. pl. II. 1101. Gmel. Syst. nat. II. p. I. p. 859. Houttuyn. Linn. Pfl. Syst. VII. 156.

Caulis filiformis 3—8 uncialis, adscendens, flexuosus, a basi ramosus, tenuissime cano-tomentosus, superne modo plus minus in cymam erectam laxam divisus, modo uniflorus. Folia radicalia nonnulla ternata alia quinata, inaequaliter, quaedam tamen sat longe petiolata, petiolis cano-pubescentibus, magnitudine foliorum P. Güntheri, vel P. argenteae minoris. Foliola extima, in quinatis valde diminuta 3—4—5 fida, inaequilatera, reliqua subaequalia pectinato-pinnatifida, 7—9 fida, laciniis obovato-linearibus obtusis, supra laete viridia, pubescentia, pilis adpressis, subtus sericeo-tomentosa, canescentia; caulina 3—4, alterna brevi-petiolata, stipulis ovato-lanceolatis, apice attenuatis, villosis, canescentibus; omnia ternata: foliolis pinnatifidis 3—5 fidis, minus villosis et minus canescentibus. Foliola floralia trifida, infima plerumque opposita, reliqua et bracteae simplices integerrimae ad dichotomiae angulos sparsae solitariae. Flores magnitudine P. vernae, lutei. Calyx basi villosissimus laciniis interioribus paullo majoribus semi-lanceolatis, acutis, exterioribus lineari-ellipticis, obtusis, subvillosis. Petala obcordata, parum emarginata, calyce determinate majora. Stamina brevissima. Gynophorum villosum T.

Hab. in Helvetia, Groenlandia. ♃. Affinis P. Güntheri et argenteae. Varietas groenlandica tenella, pauciflora, foliolis minus incisis, minusque pubescentibus. Vidi in herbariis Dni. Sauter et Dris. Portenschlag sub nomine P. geranioidis Cum P. norvegica folia caulina ternata communia habet, ceterum plantula multo minor ac tenerior, et aliquomodo P. salisburgensi similis est. Interim dubium mihi superest, numne potius P. ruthenica sit simul P. intermedia Linnaei? Tum praesens haec pro nova specie declarari deberet. Haller f. hanc pro varietate P. salisburgensis declarat. v. Flora, ann. IV. P. II. p. 707. T.

POTENTILLA *Günthèri. Spreng.*

P. caule diffuso debili, foliis inferioribus quinatis, superioribus ternatis, foliolis cuneatis superne acute serratis margine planis, subtus canescentibus, petalis retusis calyce paullo longioribus. Lehmann.

Potentilla Güntheri. C. Spreng. pl. min. cogn. pug. I. 34. Pohl. Tentam. fl. bohem. II. 185. no. 792. Lehm. Potent. p. 97. no. 39. tab. 10.

Planta semipedalis gracilis. Caules plures erecti, basi lignosi, superne canescentes, subtilissime tomentosi: ramis erecto-patentibus superne dichotomis instructi. Folia radicalia longissime petiolata, quinata, caulina sensim brevius petiolata, inferiora quinata, superiora ternata. Foliola subsessilia, cuneiformia, superne serrata, versus basin attenuata, subtus venosa, pilis brevissimis adpressisque canescentia, margine plana, serraturis acutis, terminali plerumque proximis minore. Stipulae petiolares, foliorum radicalium lineares, caulinorum lanceolatae, acuminatae, subtus canescentes. Flores parvi, permulti in panicula diffusa dispositi, pedunculis patentibus bifidis pedicellisque filiformibus, longissimis, laxis, subtilissime tomentosis. Calyx subtilissime tomentosus, canescens: foliolis subaequalibus, lanceolatis. Corolla lutea: petalis obcordato-cuneiformibus, calyce paullo longioribus. Receptaculum hemisphaericum, pilosum: acheniis albicantibus. Lehmann.

Hab. in pratis sylvestribus siccis Silesiae et Bohemiae. ♃. Dr. Wimann primus distinxit hanc plantam, et pharmacopaeus breslaviensis Günther in Cent. sicca hanc in memoriam ejus nominavit Potentillam Wimannianam. Medium tenet inter P. opacam et P. inclinatam. Folia subtus minus canescunt quam in P. canescente. A P. inclinata facillime distinguenda foliolis verissime cuneiformibus. Cel. Pr. Nestler illam ut varietatem P. argenteae considerat et dicit, eam quoque habitare circa Parisios. Sed Prof. Lehmann de identitate dubitat. Nam P. Güntheri magnopere differt a P. argentea. T.

SERIES X.

ALLIONIANA.

Herbae mediocres; foliis digitatis: foliolis plus minus incisis hirtis, concoloribus; flores de majoribus, lutei.

Species: P. pedata. Nestl. P. astracanica. Jacq. P. taurica. Willd. P. recta. L. P. laciniosa. W. K. P obscura. Willd. P. pilosa. Willd. P. divaricata. De Cand. P. hirta. L. P. umbrosa. M. B.

POTENTILLA *pedàta. Nestl.*

P. caule erecto rubente, foliis septenatis quinatisque pedatis, foliolis lanceolatis, serratis, subtus margineque pilosis, petalis obcordatis calyce duplo longioribus. Lehmann.

Potentilla pedata. Nestler Potent. p. 44. tab. 7. Lehmann. Pot. p. 84. no. 32.

Potentilla pilosa. De Cand. fl. franç. VI. p. 540. (excl. synon.)

Potentilla rubens. Allioni fl. pedem. II. no. 1486. (excl. synon.)

Caules adscendentes, sesquipedales et longiores, pro longitudine graciles, atro-purpurei, uti petioli pedunculi et calyces pilis longis, albis, patentibus, mollibus conspersi, superne dichotomo-ramosi: ramis patentibus floriferis. Folia radicalia caulinaque inferiora longe petiolata, subpedata: foliola 5—7; superiora brevi-petiolata; suprema sessilia, ternata, stipulis insidentia. Foliola lanceolata (potius spatulato linearia, vel obovata T.) versus basin sensim angustata, inferne subcanaliculata, profunde serrata (serraturis modo rotundatis, modo acutis T.) supra glabra, ad costam subtus margineque pilis subpatentibus. Stipulae foliorum inferiorum subulatae, superiorum lanceolatae subovatae, acuminatae, subtus in tota superficie pilosae, integerrimae, rarius subdentatae. Flores in panicula patente, laxa, dichotomo-ramosa, pedicello longissimo ebracteato in dichotomia; (qui tamen saepius deficit vel paniculae ramo lateraliter adhaeret T.) reliquis pedicellis in medio bracteis duabus ovato-lanceolatis (plerumque trifidis), acuminatis instructis. Calyces pilosi: foliolis exterioribus interiora longitudine aequantibus vel excedentibus sed angustioribus et minus acutis. Corolla patentissima, aurea, pro genere maxima. Petala obcordata, foliolis calycinis fere duplo longiora. Lehmann.

Hab. in collibus Liguriae, Pedemontii etc. ♃. Facile distinguenda floribus maximis et foliolis perangustis. Interea vidi specimina tenella 4 uncialia caule filiformi floribus triplo minoribus et foliolis foliorum infimorum obovatis et fere flabellatis, inciso-dentatis, pilositate tamen et reliquis notis penitus convenientia. T.

POTENTILLA *astracànica. Jacq.*

P. caule adscendente, dichotomo, foliis radicalibus quinatis foliolis oblongis obtuse dentatis, caulinis edentulis, tripartitis, pubescenti-pilosis, petalis obcordatis calyce longioribus. Lehmann.

Potentilla astracanica. Jacq. Miscell. bot. etc. II. 349. Ejusd. Ic. pl. rar. I. no. 92. c. ic. Willd. Sp. pl. II. 1105. Pers. Syn. pl. II. 55. Poiret. Enc. bot. V. 594. Ait. h. k. ed. 2. III. 277. Smith. prodr. fl. graec. I. 352. Marsch. Bieb. fl. taur. cauc. I. 406. et III. 356. Nestl. Potent. p. 41. Lehm. Pot. p. 77. no. 29.

Potentilla corymbosa. Moench. Meth. Suppl. p. 279.

Caules plures, adscendentes, teretes, pedales et longiores, superne dichotomo-ramosi, pilis mollissimis, patentibus villosi. Folia utrinque pubescenti-pilosa, radicalia longe-petiolata, quinata: foliolis sessilibus, oblongis, exterioribus multo minoribus, serrato-dentatis: dentibus inaequalibus obtusiusculis. Folia caulina superiora stipulaeformia sessilia, semi-amplexicaulia, tripartita: laciniis inaequalibus, integerrimis vel apice tantum dentatis. Stipulae permagnae, semi-amplexicaules, utrinque pubescentes. Flores in summis ramis nonnulli, axillares et terminales, bracteis lanceolatis suffulti. Calyces hirsutissimi: foliolis reticulato-nervosis, exterioribus reliquis dimidio brevioribus subulatis, interioribus lanceolatis, acuminatis, crescente fructu basi dilatatis. Corolla pallide flava: petalis obcordatis calyce longioribus. Receptaculum convexum, pilosum. Lehmann.

Hab. in planitiebus Caucasi, in promontorii caucasici campestribus, in Tauria, in prov. Astracan et circa Byzantium. Fl. Maj. Jun. ♃. Adultae foliola pustulis per paginam inferiorem sparsis saepe inaequalia (scabra). Marsch. Bieb. Accedit ad P. divàricatam et rectam habitu et statura, sed stipularum forma ab affinibus praeprimis differt. Nestl.

POTENTILLA *taurica. Willd.*

P. caule erecto multifloro, foliis quinatis, foliolis obovatis basi cuneatis, antice serratis, adpresso-pilosis, sericeis, petalis obcordatis calyce paullo longioribus. Lehmann.

Potentilla taurica. Conspect. Pot. herb. Willd. in Magaz. d. Ges. naturf. Fr. z. Berl. a. VII. p. 291. Lehmann Potent. p. 90. no. 36. tab. 9.

Potentilla hirta. Marsch. Bieb. fl. taur. cauc. I. 406. (excl. Synon.) et III. 356.

Potentilla rupestris. Falk. in Beitr. zur Kenntn. d. russ. Reichs. II. 139. no. 502. (excl. Synon.)

Radix crassa, lignosa, ramosa, extus spadicea, superne reliquiis foliorum emarcidis tecta. Caules 2—3, erecti, teretes, semipedales, foliosi, superne in ramos floriferos divisi, pilis longissimis patentissimis, mollibus, albis tecti. Folia petiolata, quinata, pilis incumbentibus mollibus sericeis subtus et margine praesertim instructa. Foliola in inferioribus foliis obovata, basi cuneiformia, antice serrata, exteriora multo minora, in superioribus foliis lanceolata. Stipulae petiolares, lanceolatae, integerrimae, in summo caule exteriore latere incisae. Flores magni in summis ramis subpaniculati, bracteis lanceolatis, elongatis, acuminatis, pilosis suffulti. Calyces valde pilosi: foliolis exterioribus linearibus reliquis paullo brevioribus, interioribus lanceolatis acuminatis. Corolla pallide flava: petalis obcordatis calyce paullo longioribus. Receptaculum convexum, pilosum: acheniis costatis, rugulosis, spadiceis. Lehmann.

Hab. in Tauriae montibus altioribus: in monte Tschatur-dag versus cacumen frequens. ♃. Omnino affinitatem tenet cum P. pilosa, v. hirta Allionii, sed minor planta; flores majores, et petala calyce paullo majora; dentes foliolorum terminales in plerisque foliis eminentes nec lateralibus proximis breviores, etc. A P. hirta quam maxime differt foliolis multo latioribus pluri-dentatis et habitu robustiori. T.

POTENTILLA *recta*. L.

P. caule erecto, foliis septenatis quinatisque, foliolis oblongis, inciso-serratis, patenti-pilosis, petalis calycem superantibus obcordatis (pallidis). Lehmann.

Potentilla recta. Willd. Sp. pl. II. 1099. Pers. Syn. II. 54. Ait. h. k. ed. 2. III. 275. Jacq. fl. austr. IV. p. 43. t. 383. Nestl. Potent. p. 42. t. 6. Lehm. Potent. p. 79. no. 30. c. plur. Synon.

Potentilla acutifolia. Gilibert. Suppl. Syst. pl. Europae. p. 364.

Potentilla pallens. Moench. Meth. p. 658.

Potentilla intermedia. Roth. Tent. fl. germ. I. 223. (excl. Synon.)

Potentilla sulphurea. De Lam. fl. franç. III. 114.

Tota planta laete viridis, pilis mollibus patentibus instructa. Caules ex una radice interdum plures, erecti, stricti, teretes, pedales et longiores, superne dichotomo-ramosi, corymbosi. Folia radicalia caulinaque inferiora longe petiolata, septenata, superiora quinata: petiolis sensim brevioribus, suprema sessilia. Foliola oblonga, versus basin attenuata, inciso-subserrata. Stipulae in caulibus ex eadem radice enatis forma saepe diversae, inferiores plerumque lanceolatae integrae, superiores laciniatae sensim latiores. Flores conferti, erecti, in corymbo terminali dispositi, pedicellati: pedicellis in dichotomia elongatis ebracteatis, reliquis brevibus, bractea una vel duabus plerumque oppositis acuminatis instructis. Calyces pilosi: foliolis exterioribus linearibus longitudine interiorum vel paullo longioribus, interioribus ovato-lanceolatis, longe acuminatis. Corolla magna, pallide sulphurea: petalis obcordatis calycem superantibus, basi luteis. Lehmann.

Hab. ad vias inter agros in siccis, in collibus apricis, herbidis Tauriae, Caucasi, Carpathorum, Austriae, Germaniae, Italiae, Helvetiae, Galliae, inque Pyrenaeis. ♃. Cel. L. B. Marschall a Bieberstein (in fl. taur. cauc. III. 355.) monet P. obscuram et P. pilosam melius adhuc observandas et forte meras P. rectae varietates esse. Variat floribus saturatius luteis. T.

POTENTILLA *laciniòsa. Waldst. Kit.*

P. caule erecto rubente, foliis septenatis quinatisque, foliolis oblongis, laciniato-pinnatifidis pilosis, petalis obcordatis, calyce multo longioribus. Lehmann.

Potentilla laciniosa. Waldst. Kit. in lit. Poir. Enc. Suppl. IV. 540. Nestl. Potent. p. 45. Lehmann. Pot. p. 86. no. 33. tab. 7.

Caulis erectus, teres, pedalis sesquipedalisve, superne praesertim purpurascens, uti tota planta pilis longis patentissimis mollibus instructus. Folia inferiora septenata quinataque, longe petiolata, superiora quinata, summa sessilia, ternata vel simplicia. Foliola sessilia, oblonga, inaequaliter laciniato-pinnatifida: laciniis interdum apice purpurascentibus. Stipulae profunde laciniatae. Flores in panicula terminali, stricta, subcorymbosa dispositi, bracteis incisis suffulti. Calycis foliola inaequalia, acuminata, exteriora in omnibus à me examinatis speciminibus incisa vel laciniata (vidi semper trifida, laciniis patentibus T.). Corolla lutea: petalis obcordatis calyce multo longioribus. Receptaculum convexum pubescenti-pilosum. Lehm.

Hab. in Hungaria. ♃. Admodum et forte nimis affinis P. pedatae. Planta elegans subrubescens, P. pedata plerumque altior. Flores parumper minores. Petala (etiam in ipsa icone Lehmanniana) calyce ne quidem duplo, ergo non multo majora. Inflorescentia perfecte ut in P. pedata, et etiam uti in illa subsecunda. T.

POTENTILLA *obscùra. Willd.*

P. caule erecto rubente, foliis septenatis quinatisque, foliolis ovali-oblongis, inciso-dentatis, adpresso-pilosis, petalis calycem vix aequantibus, obcordatis aureis. Lehmann.

Potentilla obscura. Willd. Sp. pl. II. 1100. Pers. Syn. pl. II. 54. Marsch. Bieb. fl. taur. cauc. I. 405. D'Urville Enum. Archipel. p. 56. no. 443. Nocca et Balb. Fl. ticin. I. 240. tab. 10. Nestl. Potent. p. 44. Lehm. Pot. p. 82. no. 31.

Potentilla recta. β. obscura. Poir. Encycl. bot. V. 589. (exclus. Synon.)

Caulis erectus, teres, superne ramosus, obscure purpureus, pilis albis, longis, patentibus, mollissimis conspersus, sesquipedalis, bipedalis et longior. Folia radicalia caulinaque inferiora longe petiolata, quinata vel septenata, superiora ternata vel quinata brevi-petiolata, summa sessilia. Foliola ovali-oblonga versus basin attenuata, inciso-dentata, obscure viridia, pilis incumbentibus superiore facie et dorso ad costam et venas conspersa, subhirsuta. Stipulae ex ovato-lanceolatae, plerumque incisae. Flores numerosi, in corymbo (cyma) terminali dispositi, pedicellis elongatis, bracteis ovato-lanceolatis, integris vel incisis instructis. Calyces dense villosi, pilis longissimis mollibus: foliola exteriora lineari-lanceolata interioribus corollam aequantibus paullo breviora; interiora ovata longe acuminata. Corolla aurea: petala obcordata calycem vix aequantia. Achenia glabra corrugata. Lehmann.

Hab. in Archipelago, in Sibiria, Tauria, Caucaso et Helvetia. ♃. Folia subtus tenui-tomentosa. In icone c. Noccae dentes nimis acuti, et pili nimis stricti sunt. T.

POTENTILLA *obscùra. Willd.*

P. caule erecto rubente, foliis septenatis quinatisque, foliolis ovali-oblongis, inciso-dentatis, adpresso-pilosis, petalis calycem vix aequantibus, obcordatis aureis. Lehmann.

Potentilla obscura. Willd. Sp. pl. II. 1100. Pers. Syn. pl. II. 54. Marsch. Bieb. fl. taur. cauc. I. 405. D'Urville Enum. Archipel. p. 56. no. 443. Nocca et Balb. Fl. ticin. I. 240. tab. 10. Nestl. Potent. p. 44. Lehm. Pot. p. 82. no. 31.

Potentilla recta. β. obscura. Poir. Encycl. bot. V. 589. (exclus. Synon.)

Caulis erectus, teres, superne ramosus, obscure purpureus, pilis albis, longis, patentibus, mollissimis conspersus, sesquipedalis, bipedalis et longior. Folia radicalia caulinaque inferiora longe petiolata, quinata vel septenata, superiora ternata vel quinata brevi-petiolata, summa sessilia. Foliola ovali-oblonga versus basin attenuata, inciso-dentata, obscure viridia, pilis incumbentibus superiore facie et dorso ad costam et venas conspersa, subhirsuta. Stipulae ex ovato-lanceolatae, plerumque incisae. Flores numerosi, in corymbo (cyma) terminali dispositi, pedicellis elongatis, bracteis ovato-lanceolatis, integris vel incisis instructis. Calyces dense villosi, pilis longissimis mollibus: foliola exteriora lineari-lanceolata interioribus corollam aequantibus paullo breviora; interiora ovata longe acuminata. Corolla aurea: petala obcordata calycem vix aequantia. Achenia glabra corrugata. Lehmann.

Hab. in Archipelago, in Sibiria, Tauria, Caucaso et Helvetia. ♃. Folia subtus tenui-tomentosa. In icone c. Noccae dentes nimis acuti, et pili nimis stricti sunt. T.

POTENTILLA *pilòsa. Willd.*

P. caule erecto, superne ramoso, et tota planta sparse pilosa; foliis radicalibus quinatis, foliolis cuneatis, grosse dentatis, petalis subretusis calyci aequalibus. T.

Potentilla pilosa. Willd. Sp. pl. II. 1100. Pers. Syn. pl. II. 54 Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. III. 356.

Potentilla hirta. All. fl. pedem II. p. 55. no. 1478. tab. 71. fig. 1.

Species omnino dubia, sed, ut mihi videtur, magis P. obscurae affinis quam P. rectae, quacum cel. Pr. Lehmann conjungit. Folia radicalia pleraque quinata (unicum tamen etiam vidi septenatum!) plus minus longe petiolata. Foliola supra saturate viridia, nitida, sparse pubescentia, subtus ad costas eminentes et ad marginem pilis longis incumbentibus strigosa, basi cuneata, raro dentata, antice obovata, grosse et obtuse dentata, dentibus singulis majori pilo terminatis, terminali dente ceteris semper minori. Caulis erectus, firmus, angulosus, rubens, pilosus foliiferus, bis aut ter dichotomus. Folia caulina ternata, petiolis brevibus fere totis cum stipulis longissime auriculatis connatis, foliolis ovato-lanceolatis grosse dentatis In centro dichotomiae plerumque flos solitarius longe pedunculatus, ebracteatus. Bracteae reliquorum trifidae et simplices. Calyx basi villosus, antice fere glaber; laciniae aequales, lineari-lanceolatae. Petala lutea, calyci aequalia, obcordata, levissime emarginata. T.

Hab. in Europa australi, nec non in Tauria. ♃. Differt a P. recta habitu graciliori, pilis rarioribus et praecipue corollis calycibus aequalibus; a P. obscura vero pilositate majori, stipulis longissime auriculatis, foliolis minus incisis et floribus duplo majoribus, paucioribus. Putavi, hanc interim ut speciem distingui debere, quum Potentilla obscura non magis differat a P. recta quam P. pilosa, et cum sententiae auctorum in partes eant, num pro varietate P. rectae declarari debeat, vel P. obscurae? T.

POTENTILLA *divaricàta. De Cand.*

P. caule erecto, foliis septenatis quinatisve, foliolis oblongis, basi longe angustatis, profunde serratis, glabriusculis, petalis obcordatis calycem aequantibus. Lehmann.

Potentilla divaricata. De Cand. fl. franç. VI. 541. Ejusd. Catal. pl h. monspel. p. 135. Poir. Encycl. Suppl. IV. 540. Nestl. Potent. p. 41. Lehm. Potent. p. 76. no. 28.

Caulis erectus pedalis et ultra, pilis raris patentibus ut et reliquae plantae partes tectus. Folia radicalia caulinaque inferiora septenata, caetera quinata, summa trifoliata; foliola oblonga, supra glabra, subtus ad nervos marginemque rariter pilosa: caulis superne dichotomo - corymbosus, ramis divaricatis. Flores dichotomales longiuscule pedicellati. Bracteolae lineari-lanceolatae, laciniis calycinis semi-lanceolatis dimidio longiores. Petala obcordata flava, calycem aequantia. Nestler. Omnino media videtur inter P. intermediam (P. Nestlerianam), a qua differt stipulis pinnatifidis nec integris, et caule erecto; et P. rectam, a qua distinguitur facie tota, glabritie, seu potius pilis rarioribus, foliolis basi multo magis angustatis, corymbo laxo divaricato, petalis minoribus. De Cand. Catal. l. c.

Hab. in monte rotundo ins. Corsicae. ♃.

POTENTILLA *hirta*. L.

P. caule erecto paucifloro, foliis septenatis quinatisque, foliolis cuneiformibus superne incisis prolixe pilosis, petalis obcordatis calyce longioribus. Lehmann.

Potentilla hirta. Willd. Sp. pl. II. 1102. Pers. Syn. pl. II. 54. Smith prodr. fl. graec. I. 351. no. 1179. Poiret Encycl. V. 591. Bertoloni Amoen. ital. p. 372. Nestler. Potent. p. 46. Lehm. Pot. p. 88. no. 35. tab. 8.

Potentilla angustifolia. De Cand. fl. fr. VI. 540. no. 3735.[a] Lehmann. Potent. p. 195.

Caules ex una radice plures erecti, teretes, purpurascentes, firmi, digitales spithamaei et longiores, uti tota planta pilis longissimis niveis patentibus instructi, pauciflori. Folia inferiora longe petiolota, quinata septenatave, superiora alterna sensim brevius petiolata, quinata, summa ternata, vel simplicia sessilia. Foliola sessilia, cuneiformia, superne (antice) incisa. Stipulae lanceolatae, acuminatae integerrimae. Flores in summo caule nonnulli, pedicellati, erecti, bracteis suffulti. Calycis foliola inaequalia, exteriora linearia, obtusiuscula, reliquis breviora, interiora semiovato-lanceolata, acuta. Corolla magna aurea: petalis obcordatis calycem plus minusve superantibus. Lehmann.

Hab. in Pyrenaeis, Gallia australi, Pedemontio, ad Salisburgum, in Tyroli, Graecia etc. ♃. Commemoratur varietas caule decumbente viscoso, quae in Sibiria habitare dicitur: sed hanc praesenti speciei subjungere non audeo, cum me maxima suspicio occupet, quod haec forte sit distincta species? Pot. angustifolia De. Cand. minime potest habere folia pinnata, quia duo foliola extima dicuntur minutissima, et quia Lapeyrouse citatur, qui minus recte iterum Synonimon Allionii allegavit, quod ad P. pilosam pertinet. Sine dubio in definitione Poiretii (Encycl. Suppl. IV. 538.) sphalma intervenit et loco: foliis quinatis male dictum fuit: foliis pinnatis. Ceterum descriptio hujus plantae Candolleana aperte P. hirtam designat, neque ullam aliam. Marschall Bieberstein (v. Ej. Fl. taur. cauc. III. 356.) dicit: „Variat altitudine, foliisque majoribus: serraturis lateralibus pluribus, et densitate pubis, quae tamen semper pulchre albo sericea est. — — — Majorem et copiosiore hirsutie canescentem varietatem exprimere videtur: Quinquefolium orientale rectum luteum incanum. Tourn. cor. p. 21.« T.

POTENTILLA *umbròsa. Marsch. Bieberst.*

P. foliis radicalibus palmatis (digitatis), 5—6-natis subpilosis: foliolis obovato-oblongis, obtuse serratis, petalis obcordatis calyce sublongioribus, caulibus erectiusculis a basi ad bifurcaturas nudis. M. B.

Potentilla umbrosa. Marsch. Bieberst. Fl. taur. cauc. III. 357. Steven manuscr. Besser Cat. hort. cremenec. a. 1816. p. 110.

Radix valida nigricans, ad terrae superficiem petiolorum basi marcescente squamata. Folia radicalia numerosa, longe petiolata, majuscula, palmata (l. digitata!): foliolis principalibus 5, quibus saepius accedit 6tum ceteris minus: omnibus oblongis, basi cuneatis, apice rotundatis, a basi ad $\frac{1}{3}$ integerrimis, inde grosse obtusiuscule haud profunde serratis: serratura apicis reliquis minore; caeterum laete viridia, pilis raris adpressis subpubescentia, tota cum petiolis glandulis vix nisi lentis ope visibilibus valde viscida; tria intermedia praesertim pedicellis propiis 2—3 lineas longis insistentia. Caulis circiter pedalis, rectascendens, pilis incumbentibus pubescens. Inflorescentia subdichotoma generi familiaris. Folia sub singulis bifurcaturis radicalibus multo minora, ternata, supra stipulas falcato-lanceolatas integerrima subsessilia: serraturis remotioribus atque acutioribus quam radicalium. Pedicelli elongati, magis quam reliquae plantae partes albo-pilosi. Flores magnitudine florum P. reptantis. Calyx magnus sparsim pilosus: foliolis lanceolatis, acutiusculis, subaequalibus. Corolla calyce vix major: petalis obcordatis, intus aureis, extus fulvo-luteis. M. B.

Hab. in Tauriae maxime meridionalis umbrosis. ♃. Quoad formam foliorum atque florum aliquam cum P. reptante similitudinem habet nova haec species, ceteroquin ab omnibus hucusque notis distinctissima. M. B. Intermedia inter seriem Allionianam et Schkuhrianam: sed, ne series nimias constituam, interim priori subjungo. T.

SERIES XI.

SCHKUHRIANA.

Plantae procumbentes vel repentes; folia digitata; flores axillares, subsolitarii.

Species: P. simplex. Mich. P. Tormentilla. Nestl. P. Neumayeriana. T. P. nemoralis Nestl. P. sarmentosa. Willd. P. reptans. L. P. flagellaris. Willd.

POTENTILLA *Tòrmentilla. Nestl.*

P. caule adscendente dichotomo, foliis ternatis, caulinis sessilibus, foliolis lanceolato-ovalibus, inciso-serratis, pedicellis solitariis dichotomalibus lateralibusque, corollis subtetrapetalis, petalis obcordatis. Lehmann.

Potentilla Tormentilla. Nestler. Pot. p. 65. no. 55. Lehm. Potent. p. 149. no. 64. (c. plur. Synon.)

Tormentilla erecta. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 716. Fl. dan. IV. 589. Sturm Deutschl. Fl. I. Abth. 9. Bd. et plur. auct.

Tormentilla officinalis. Lapeyr. fl. pyr. p. 291. Curt. fl. lond. f. 5. t. 35.

Tormentilla tuberosa. Renault fl. de l'Orne. p. 148.

Radix tuberosa, subcylindrica, extus fusca, intus rubella. Caules plures vel suberecti vel adscendentes vel decumbentes, teretes, debiles, filiformes, foliosi, subpilosi, superne dichotomo-ramosi; ramis divergentibus. Folia ternata, radicalia longe petiolata, foliolis subrotundis, caulina sessilia, infima interdum brevi-petiolata: foliolis lanceolato-ovalibus, inciso-serratis, utrinque pubescentibus, interdum subglabris. Stipulae foliolis plerumque connatae, incisae. Flores pedicellati, ante anthesin nutantes, dein erecti, ex dichotomia ramorum, terminales et oppositifolii. Pedicelli filiformes, solitarii, ebracteati, dense pilosi. Calyces patentes pilosi. Corolla lutea plerumque tetrapetala: petalis obcordatis calyce longioribus. Achenia in singulis receptaculis perpauca, glabriuscula. Lehmann.

Hab. per totam Europam et Asiam septentrionalem in pascuis, ericetis et dumetis, nec non in subalpinis. Fl. a Junio usque ad Septembrim. ♃. Variat magnitudine unciali usque ad bipedalem, caule procumbente et erecto, simplici et ramosissimo, foliis cum stipulis connatis sessilibus et tum quinatis, et petiolatis a stipulis separatis tumque ternatis, et tandem floribus 3—5—6-petalis calyceque 6—10—12-fido. Folia radicalia semper longe petiolata, ternata, eorumque foliola cuneato-subrotunda, grandidentata sunt. Tormentilla a Potentilla nullo charactere constanti separari potest. T.

POTENTILLA *Tormentilla elatior.*

Distinguitur caule bipedali erecto, brachiato-dichotomo, foliis exstipulatis sessilibus, quinatis; foliolis cuneato-oblongis, antice profunde inciso-dentatis, glabriusculis, ciliatis, calycisque laciniis subpilosis, aperte trinerviis. T.

Vidi siccam in herbario Portenschlagiano, et in illo Dni. Kerndel: (ubi autem folia subtus ad nervos hirsuta fuerunt!) Forte, et vix dubito, nova species; habitu mirum distincta et glabritie omnium partium. Laciniae calycis exteriores duplo angustiores et acutiores sed vix breviores interioribus. Folia infima subpetiolata, ternata, stipulis sessilibus pectinatis, caulis gracilis, pubescens, flexuosus; foliola sesquiuncialia, 3 lineas lata, subtus pallidiora; flores axillares solitarii. T.

POTENTILLA *Neümayeriàna. T.*

P. caule decumbente; foliis ternatis quinatisque: foliolis cuneato-subrotundis, apice inciso-dentatis, utrinque tenuissime pubescentibus: floribus solitariis supra-axillaribus, longissime pedunculatis: petalis calyce triplo majoribus. T.

Radix subtuberosa, repens, similis illi P. Tormentillae. Folia radicalia brevi-petiolata, pleraque quinata, caulinis penitus aequalia, stipulis paullo longioribus, marcescenti-membranaceis. Caules plures, filiformes, 2—4 pollices longi, decumbentes, glabri, striati. Folia ad internodia subaggregata petiolata, petiolis semiuncialibus vel uncialibus. Stipulae ovato-lanceolatae, integerrimae, glabrae. Folia fere omnia quinata, raro ternata: foliolis basi cuneatis integerrimis 2—6 lineas longis et fere totidem latis, antice rotundatis inciso-serratis, serraturis (9—10) obtusiusculis, utrinque saturate viridia levissime pubescentia. Pedunculi solitarii, 2—3 pollices longi, filiformes, adscendentes, tenuissime pubescentes, ebracteati, uniflori. Calyx 10—12 fidus: sepalis exterioribus ovatis, interioribus paullo longioribus, semi-lanceolatis, tenuissime pubescentibus, margine subsericeis. Petala 5 magna (magnitudine P. grandiflorae), calyce triplo majora, brevissime unguiculata, antice latissima, retusa, aurea. Stamina 25 brevissima: antherae fuscae. Gynophorum imberbe: styli rufescentes.

Hab. prope Gutenstein in Austria, ubi hoc anno, sub finem mensis Septembris florentem detexit Dnus. Jos. Neumayer et benevolentissime communicavit. ♃. Foliola magnitudine admodum inaequalia, terminali maximo, non vero forma, quae fere in omnibus regularis et cuneato-subrotunda est. Affinis P. Tormentillae: sed differt foliis praeter stipulas quinatis, stipulis integerrimis et corollis speciosis maximis. Nominavi in venerationem detectoris. T.

POTENTILLA *nemoralis. Nestl.*

P. caule prostrato filiformi, foliis quinatis ternatisque subpedatis, foliolis obovatis basi cuneatis, superne inciso-serratis, subtus adpresso-pilosis, pedicellis axillaribus solitariis, elongatis, floribus subtetrapetalis; petalis obcordatis. Lehmann.

Potentilla nemoralis. Nestl. Pot. p. 65. no. 54. Lehmann. Pot. p. 147. no. 63. t. 13.

Potentilla sylvestris. Renault. Fl. de l'Orne. p. 148.

Potentilla procumbens. Sibth. Fl. oxon. p. 162.

Tormentilla reptans. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 716. Willd. Sp. pl. II. 1112. Pers. Syn. II. 56. Ait. h. k. ed. 2 III. 279.

Caules nonnulli subsimplices, prostrati, flagelliformes, pedales sesquipedales et longiores, pubescentes, foliosi. Folia longe petiolata, erecta, pallide viridia, subtus magis quam supra pilosa: pilis incumbentibus; inferiora quinata, subpedata, superiora ternata: foliola subsessilia, obovata, basi cuneiformia, superne inciso-serrata, exteriora multo minora. Stipulae plerumque lanceolatae, indivisae, rarius lobatae. Pedicelli solitarii, oppositifolii, capillares, foliis longiores, ebracteati, pilosi. Calyx octofidus, rarius decemfidus, pilosus: foliolis aequali fere longitudine, exterioribus lanceolatis, interioribus ovalibus. Corolla aurea: petalis 4, rarius 5 calyce longioribus, obcordatis. Achenia rugulosa. Lehmann.

Hab. in Gallia boreali, Germania, Anglia et Scandinavia, locis nemorosis, ad sepes et agrorum margines. Fl. Junio Julio ♃. Vidi specimina foliolis oblongis, imo foliis simplicibus trifidis: sed stipulae semper aderant modo integrae modo 2—3-lobae, imo multifidae; vidi caule ramosissimo ac simplicissimo, folia longius vel brevius petiolata; non erant degenerationes Tormentillae rectae, sed forte una alterave nova praesenti affines species, in quas ergo ulterius attente inquirendum est. T.

POTENTILLA *nemoralis major.*

Distinguitur caule longissimo fortiori, foliolis in foliis anterioribus obovatis imo lanceolatis, dente terminali longiore, foliis plerumque in ramulos abeuntibus, stipulisque bi-trifidis. T.

Vidi in herbario Dni. Neumayer: non est Tormentilla reptans Florae danicae T. VII. tab. 1217. Nam flores sparsi, solitarii, nec apice aggregati, folia subpedata et foliola in foliis inferioribus cuneata, omnia profunde inciso-serrata, subtus strigoso-pubescentia. An mera P. nemoralis varietas? In herbario Portenschlagiano vidi subvarietatem foliis longe petiolatis et stipulis simplicissimis linearibus; aliamque floribus subgeminatis, stipulis simplicibus ovatis obtusiusculis. T.

POTENTILLA *sarmentòsa. Willd.*

P. foliis quinatis, obovatis, grosse serratis, stipulis incisis bifidis, pedunculis unifloris axillaribus, caule procumbente sarmentoso. Willdenow.

Potentilla sarmentosa. Willd. Enum. h. b. I. 554. Poiret. Enc. bot. Suppl. IV. 543. Nestl. Pot. p. 64. no. 52.

Potentilla simplex. Lehmann. Pot. p. 142. no. 61. (excl. Synon.).

Similis P. reptanti, differt: foliis obovatis nec cuneatis, serraturis ovatis acutiusculis, stipulis incisis bifidis, pedunculis constanter folio longe petiolato brevioribus. In ramis junioribus quidem primum longiores sunt; sed in P. reptante semper foliis longiores observantur. Willdenow.

Distinguo hanc a P. simplici ob caulem repentem s. sarmentosum, foliola non cuneata, stipulas incisas, et pedunculum folio breviorem. Haec species, ut patet, debet similis esse P. reptanti; P. simplex potius similis est P. Nestlerianae. Cel. Pr. Lehmann solummodo P. sarmentosam ante oculos habuisse et iconem Nestlerianam non sufficienter cum adnotationibus Michauxii perpendisse videtur. T.

POTENTILLA *rèptans. L.*

P. caule repente, foliis quinatis, foliolis obovato-cuneiformibus, argute serratis, pilosis, pedicellis axillaribus solitariis folio longioribus; petalis obcordatis calyce longioribus. Lehmann.

Potentilla reptans. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 714. Fl. dan. VII. t. 1164. Sow. Engl. bot. XII. 862. Curt. fl. lond. I. 37. Nestler. Potent. p. 64. no. 53. Lehm. Pot. p. 144. no. 62. (c. plur. Synon.)

Radix fusiformis simplex, extus fusca. Caules numerosi, teretes, flagelliformes, geniculati, procumbentes, reptantes, pedales, cubitales et longiores, plerumque purpurascentes. Folia longe petiolata, quinata, per paria plerumque e geniculis caulium magnis intervallis prodeuntia, erecta, pro soli et loci natura plus minusve pilosa: foliolis inaequalibus, obovato-cuneiformibus, toto fere ambitu argute-serratis. Stipulae ovato-lanceolatae, acutae, integerrimae, rarius denticulatae. Pedunculi axillares, solitarii, erecti, foliis longiores, ebracteati. Calycis foliola lanceolata, subaequalia, exteriora saepe reflexa. Corolla lutea, interdum tetrapetala: petalis obcordatis calyce longioribus. Filamenta corolla breviora, duplici serie disposita. Lehmann.

Hab. per totam Europam et Asiam septentrionali-orientalem ad vias, fossas argillosas, in pascuis. Fl. per totam aestatem. ♃. P. sessilis, foliis ternatis quinatisve cuneiformibus, subtus pubescentibus, petalis subemarginatis. Schmidt Bot. Beobacht. in Mayers Samml. phys. Aufs. I. 197. Abhandl. d. böhm. Ges. d. Wiss. 1785. t. 1. f. 2. Hoppe Bot. Taschenb. 1796. p. 65. et Pohl Tent. fl. Bohem. II. 184. videtur esse mera praesentis speciei varietas, quam cel. Dr. Pohl. l. c. ita distinguit: P. reptans β. fol. quinatis, foliolis lanceolatis, inciso-pinnatis, caule repente, pedunculis unifloris. Sed melius adhuc observanda! T.

POTENTILLA *reptans microphylla. T.*

Distinguitur caule repente filiformi, longissimo, ramoso purpurascente, glabriusculo, foliis brevi-petiolatis et subsessilibus, minutissimis, quinatis, foliolis cuneato-subrotundis, inciso-serratis, serraturis plus minus rotundatis, subcoriaceis, glabriusculis vel subpubescentibus, utrinque viridi-purpurascentibus, stipulis membranaceis coloratis, heteromorphis; pedunculis folia quadrupolo superantibus, calycis laciniis subaequalibus. T.

Vidi in herbario b. amici Franc. a Portenschlag, nescio ubi inventam nec non in herbario Dni. Hölzl, pharmacopaei in Maria-Zell. Videtur fere species distincta. Nec transitus vidi. Folia ubique magnitudine et forma aequalia. Caulis longior quam in P. reptante vulgari. T.

POTENTILLA *flagellàris. Willd.*

P. caule sarmentoso filiformi, foliis quinatis, foliolis lanceolatis serratis subglabris, pedicellis axillaribus solitariis, filiformibus, elongatis, petalis obovatis integerrimis, calyce paullo longioribus. Lehmann.

Potentilla flagellaris. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. VII. 291. Lehm. Potent. p. 141. no. 60. tab. 12.

Radix fasciculata, fibrosa. Caules plures, sarmentosi, filiformes, teretes, longissimi, pubescentes. Folia distantia, petiolata, quinata, utrinque subglabra, pallide viridia: foliolis sessilibus, lanceolatis, argute serratis, exterioribus paullo minoribus. Stipulae lanceolatae, acutae, subglabrae, integerrimae, rarius 2—3 partitae. Pedicelli axillares, solitarii, filiformes, foliis longiores, plus minusve pilosi: pilis incumbentibus. Calyces subglabri: foliolis aequalibus, lineari-lanceolatis, acuminatis. Corolla aurea: petalis obovatis, integerrimis, calyce paullo longioribus. Receptaculum convexum lanuginosum. Lehmann.

Hab. in Sibiria orientali. ♃.

SERIES XII.

SCHRADERIANA.

Herbae mediocres foliosae; folia ternata, latiuscula, grosse dentata; flores terminales, parvi, flavi, corollis calyce minoribus.

Species: P. elatior. Schlechtend. P. norwegica. L. P. hirsuta. Mich. P. ruthenica. Willd. P. diffusa. Willd..

POTENTILLA *elàtior. Schlechtend.*

P. caule erecto longissimo, foliis ternatis petiolatis, foliolis ovalibus (ovatis) acute serratis, venosis, utrinque subglabris, petalis obovatis integerrimis calycem paullo superantibus. Lehmann.

Potentilla elatior. Schlechtendal in Magaz. d. Ges. naturf. Fr. zu Berl. VII. ann. p. 295. Lehm. Potent. p. 157. no. 67. tab. 14.

Caulis erectus, simplex, teretiusculus, sesquipedalis, laxus, pilis tenuissimis incumbentibus instructus. Folia ternata, distantia; inferiora longe petiolata, superiora sensim brevius petiolata, utrinque subglabra, pilis adpressis tenuissimis adspersa. Foliola sessilia, ovalia (in icone ovata!), acute serrata, venosa. Stipulae, magnae, ovato-oblongae, acuminatae, plerumque integerrimae, interdum apice incisae. Pedunculi in summo caule tenuissimi, laxi, pilosi, in pedicellos filiformes elongatos subdivisi. Calyces pilosi: foliolis subaequalibus, angusto-lanceolatis, acuminatis. Corolla parva, ut videtur, lutea: petalis obovato-oblongis, (in icone orbicularibus!) integerrimis, venosis, calycem paullo superantibus. Receptaculum hemisphaericum pilosum: acheniis subglabris fuscescentibus coopertum, quibus adhaerent styli persistentes filiformes. Lehm.

Hab. in Sibiria. ♃. Folia Fragariam mire imitant; sed caulis undique foliosus iterum quam maxime differt. Liceat interrogare: an non forte haec sit illa P. norwegica, quam in America habent, et P. hirsuta Americanorum forte mera P. norwegicae europaeae varietas? Tunc supponi deberet, Schlechtendalium circa patriam praesentis speciei deceptum fuisse. T.

POTENTILLA *norwègica. L.*

P. caule erecto superne dichotomo, foliis ternatis petiolatis, foliolis oblongis acute serratis, patenti-pilosis, pedicellis axillaribus, petalis obovatis calyce brevioribus. Lehmann.

Potentilla norwegica. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 715. Oeder. Fl. dan. I. t. 171. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. I. 354. Nestl. Potent. p. 66. no. 57. Lehm. Potent. p. 153. no. 65. (c. plur. Synon.)

Potentilla trifolia. Gilibert. Suppl. Syst. pl. Europ. p. 361.

Potentilla dichotoma. Moench. Meth. p. 659.

Caules ex una radice plures, erecti, teretes, basi simplices, rubescentes, superne dichotomo-ramosi, pilis patentibus instructi. Folia ternata, inferiora petiolata, alterna; superiora subsessilia, opposita. Foliola subsessilia oblonga acute serrata, utrinque pilis patentibus adspersa. Stipulae ovatae, acuminatae, plerumque integerrimae, rarius inferiores incisae vel dentatae. Flores permulti in summo caule paniculam dichotomam constituentes, erecti, pedicellis axillaribus, solitariis, ebracteatis, semipollicaribus, pollicaribus et longioribus. Calyces pilosi: foliolis subaequalibus, lanceolatis, acutis. Corolla lutea: petalis obovatis, integerrimis calyce brevioribus, caducis. Receptaculum glabrum: acheniis rugulosis, pallide flavis. Lehmann.

Hab. in Lapponia, Norwegia, Suecia, Borrussia et Hungaria, in Sibiria Americaque septentrionali, in arvis et locis montosis. Fl. Junio et Julio. ⊙. Ab hac praeter dentes foliolorum obtusos vix diversa P. hirsuta, quae autem usquedum ab omnibus ut species diversa agnoscitur. Si certum, quod Pr. Lehmann (v. ej. Potent. p. 196.) dicit, et quod etiam mihi verosimillimum videtur, quod P. fragariaefolia Hoppii nil aliud sit quam P. norwegica, tunc sequitur, Potentillam hanc saepius etiam esse perennem. (v. Hopp. bot. Taschenb. d. a. 1809. p. 221,) Ad testimonium cel. P. Reichenbach (v. Flora ann. V. 6. I. p. 294.) P. norwegica degenerat in P. ruthenicam. In herbario Dni. Hölzl vidi etiam specimen digitale perfectum. T.

POTENTILLA *hirsùta. Mich.*

P. caule erecto simplici, foliis ternatis petiolatis, foliolis subrotundis hirsutis, inaequaliter dentato-serratis, dentibus obtusis, petalis calyce brevioribus. Lehmann.

Potentilla hirsuta. Michaux Fl. bor. amer. I. 303. Pursh. Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 353. Nestl. Potent. p. 67. no. 58. tab. 9. f. 1. Lehm. Potent. p. 155. no. 66.

Potentilla Morisoni. De Cand. Catal. pl. hort. monspel. p. 135. Poiret. Enc. Suppl. IV. 537.

Potentilla monspeliensis. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 714. pariter ac Willdenowii, Persooni, Aitonii, et Poiretii.

Fragaria parviflora. De Lam. fl. franç. III. p. 112.

Caulis erectus, teres, subsimplex, purpurascens, pilis patentibus mollibus uti petioli hirsutus. Folia ternata, infima longe, superiora brevi-petiolata, alterna, summa sessilia, opposita. Foliola in inferioribus foliis subrotunda, in superioribus magis oblonga vel obovata, obtusa, margine grosse dentato-serrata, subincisa; serraturis rotundato-obtusis aequalibus, interdum denticulatis; inferiore pagina magis quam superiore hirsuta, pallide viridia. Stipulae ovato-oblongae, basi inaequales, plerumque integerrimae, rarius sinuato-dentatae. Panicula terminalis pauciflora, dichotomo-ramosa, pedicellis brevibus, supra-axillaribus, canescentibus, uti calyces, hirsutis. Calycis foliola aequali fere longitudine, exteriora oblonga obtusiuscula basi paullulum attenuata, interiora semiovata, acuta. Corolla pallide flava: petalis obovatis, levissime emarginatis, et fere obcordatis, calyce paullo brevioribus. Receptaculum ovatum: glabrum: acheniis rugulosis. Lehmann.

Hab. in novo Eboraco (New-York) et in Canada. Fl. Jun. Jul. ⊙. Pro planta gallica male exhibita fuit. Magnolius enim in horto indicavit citavitque hortum blesensem, in quem semina e Canada venerunt. Vix valeo distinguere hanc speciem a P. norwegica: nam forma foliolorum variabilis est, uti et stipularum: dentes foliolorum et parca calycis diversitas praecipuam differentiam constituere mihi videntur. T.

POTENTILLA *ruthènica. Willd.*

P. caule erecto, diffuso, foliis radicalibus quinato-pinnatis, caulinis ternatis, foliolis obovatis, inaequaliter inciso-serratis, petalis calyce brevioribus. Lehmann.

Potentilla ruthenica. Willd. Sp. pl. II. 1097. Pers. Syn. II. 54. Nestl. Potent. p. 38. Lehmann. Potent. p. 44. no. 8. Willd. En. ber. I. 555.

Caulis erectus teres, dichotomo-ramosus, pilis mollibus plus minusve patentibus hirsutus, pedalis bipedalisque. Folia utrinque hirsuta, radicalia primo vere explicata longe petiolata, quinato-pinnata: foliolis obovatis inaequaliter inciso-serratis, binis superioribus sessilibus basi decurrentibus, binis inferioribus imparique brevi-petiolatis. Folia caulina media longe petiolata, alterna, superiora opposita, subsessilia: foliolis ternatis oblongo-lanceolatis. Stipulae oblongo-lanceolatae, acuminatae, exteriore latere dentatae vel incisae. Flores in summis ramis paniculati, pedicellati: pedicellis hirsutis, primariis in dichotomia caulis solitariis. Calyces valde hirsuti; foliola lanceolata, exteriora reliquis longiora. Corolla parva flava: petalis subrotundis vix emarginatis, foliolis calycinis exterioribus fere dimidio brevioribus. Receptaculum conicum: acheniis laevibus.

Hab. in Sibiria. ♃. Differt a Potentilla norvegica foliis radicalibus quinato-pinnatis, pilositate tenuiori, et caule diffuso: ceterum simillima. Folia radicalia attentius considerando non dicerem pinnata, sed potius digitata: omnia enim foliola ex uno puncto oriuntur; sed foliolum terminale longe petiolatum est, intermedia subsessilia in petiolum partialem decurrentia, et extima inaequilatera, brevissime petiolata. An forte haec verissima Linnaei P. intermedia? Tunc P. intermedia nostra esset nova species, quam nominare vellem P. Hallerianam. T.

POTENTILLA *diffùsa. Willd.*

P. foliis radicalibus subpinnatis, caulinis ternatis, foliolis lanceolatis, inaequaliter grosse serratis, utrinque, cauleque patenti-pilosis, pedunculis alaribus solitariis. Willd.

Potentilla diffusa. Willd. Enum. I. 555. Horn. hort. hafn. II. 478.

Potentilla ruthenica β. diffusa. Nestler. Potent. p. 39. Lehmann. Pot. p. 44.

Petala retusa parva, calyce breviora. Similis P. ruthenicae et norwegicae quoad folia radicalia; diversa a priori: pilis caulis patentibus nec adpressis; a secunda; pilis copiosioribus et pedunculis alaribus nec-supra axillaribus. Willdenow.

Patria ignota. Nestler putat ex cultura ortam; Lehmann ad mentem Hornemanni conjecturam profert, eam fortasse ortam esse ex P. ruthenica et P. norvegica. Revera P. diffusa non multum differt a P. ruthenica, nec magis a P. norvegica; sed, si hybrida, nec P. ruthenica, neque norvegica est, adeoque species nova ut permultae aliae ex permixtione aliarum exortae. Porro: illa rejecta, an non pari jure P. hirsutam cum P. norvegica, et P. norvegicam cum P. ruthenica coadunare debebimus? Folia primordialia et vere radicalia in P. hirsuta et norwegica nondum sufficienter observata; cetera vero omnia nimiis anomaliis subjecta esse videntur. Haec animo contemplans, optimum et tutissimum putavi, si P. diffusam interim in catastrum specierum susciperem, donec tandem affines reliquae accuratius observatae fuerint, et jus specificum illarum rite determinatum.

Praeterea suspicor, P. norwegicam, hirsutam, ruthenicam et diffusam esse unius ejusdemque speciei, P. ruthenicam vero P. intermediae synonimam. Tunc enim sententia Houttuyni (v. Willd. Sp. pl. II. 1102.) »verbo, esset P. norwegica, si non radix esset perennis et folia subradicalia quinata« optime congruere videtur. T.

SERIES XIII.

SCHLECHTENDALIANA.

Plantae parvae: radices sursum ramosae, seu caulescentes et frutescentes; caules secundarii graciles plus minus decumbentes; folia quinata vel ternata; corollae plerumque flavae, calyci subaequales.

Species: P. incisa. Desf. P. triloba. Poir. P. Nestleriana. T. P. patula. W. K. P. adscendens. W. K. P. collina. Wib. P. velutina. Lehm. P. subacaulis. L. P. cinerea. Chaix. P. Lindackeri. Tausch. P. opaca. L. P. pumila. Poir. P. verna. L. P. Vahliana. Lehm. P. nana. Willd. P. emarginata. Pursh. P. salisburgensis. Haenke. P. ranunculoides. H. B. P. canadensis. L. P. heterophylla. Lapeyr. P. debilis. Schleich. P. grandiflora. L. P. fragiformis. Willd. P. Vaillantii. Nestl. P. tridentata. Ait. P. aurea. L. P. Brauneana. Hoppe. P. petraea. Willd. P. helvetica. Hall. f. P. frigida. Vill. P. biflora. Willd.

POTENTILLA *incisa. Desf.*

P. caule decumbente dichotomo, foliis infimis quinatis, caulinis ternatis, foliolis cuneiformi-oblongis, apice incisis, subtilissime pilósis, petalis cuneatis retusis, calyce paullo longioribus. Lehm.

Potentilla incisa. Desfontaines Cat. hort. par. 1804. p. 177. Nestl. Pot. p. 51. no. 35. tab. 4. fig. 1. Lehm. Pot. p. 102. no. 42. Poir. Enc. bot. Suppl. IV. 539. Lagasca gen. et spec. novae. p. 16.

Caules ex una radice plures, decumbentes, graciles, subdichotomi, dodrantales et paullo longiores, uti petioli et pedicelli pilis patentibus instructi. Folia radicalia longe petiolata quinata, caulina subsessilia, inferiora ternata, superiora simplicia. Foliola sessilia cuneiformi-oblonga, pilis rufescentibus subtilissimis utrinque adspersa, (a basi) ultra medium integra, superne incisa, superiora subtrifida. Stipulae lanceolatae acutae, plerumque integerrimae, superiores interdum dentatae. Flores in summis ramis longe pedicellati: pedicellis gracilibus, durante florescentia erectis, crescente fructu sensim nutantibus. Calyces villosi: foliolis aequali fere longitudine, acutis, exterioribus lineari-lanceolatis, interioribus ovato-lanceolatis. Corolla pallide lutea, petalis cuneiformibus retusis, calycem paullulum superantibus. Achenia laevia. Lehmann.

Hab. in Gallia? ♃. Affinis P. vernae, magis adhuc P. patulae: sed major, et foliola truncata profundius incisa pilositasque caulium patens hanc sufficienter ab utrisque distinguunt. T.

POTENTILLA *trilobàta. Poiret.*

P. villosa; foliis inferioribus quinatis, foliolis lanceolatis dentatis; foliis superioribus simplicibus trilobis; pedunculis axillaribus, calyce hirsutissimo, corollis magnis. Poiret.

Potentilla trilobata. Poir. Enc. bot. Suppl. IV. 536. Lehm. Potent. p. 194.

Potentilla intermedia. Poiret. Encycl. bot. V. 590. (excl. Synon.)

Caules erecti valde pubescentes, ramosi, praesertim superne. Folia alterna, crassiuscula, villosissima: radicalia longe petiolata: foliolis 5, rarius 7, inaequalibus, ovatis, acutis, basi subcuneatis, utrinque albido-virentibus, margine crenatis ciliatis. Folia caulina superiora sessilia, subopposita, ternata: foliolis ovatis, oblongis, obtusis, integerrimis, nonnunquam trilobis. Stipulae magnae ovatae, oblongae. Pedunculi subsimplices, villosi, sat longi; calyx pubescens: foliolis lanceolatis. Corolla magna, patens, lutea; petalis apice leviter emarginatis.

Hab. (teste Poiretio!) in Helvetia, Hungaria et Gallia meridionali. ♃. Ad mentem Poiretii affinis P. rectae et norwegicae. Sed ambae sibi nimis alienae sunt! Pro meo arbitrio potius P. Nestlerianae proxima et ab hac vix specie sufficienter diversa est. T.

POTENTILLA *Nestleriàna*. T.

P. foliis radicalibus septenatis, longissime petiolatis, caulinis quinatis, foliolis ovato-oblongis (in icone obovatis!) cuneatis, profunde (in icone non profunde)-serratis; stipulis indivisis, caule dichotomo decumbente (in icone potius adscendente). Nestler.

Potentilla intermedia. Nestler. Pot. p. 49. tab. 8. Lehm. Pot. p. 100. no. 41. (exclus. Synon.)

Caulis in planta spontanea dodrantalis, gracilis, ut petioli pedunculi calycesque, patenti-pilosus. Folia radicalia caulinaque infima septenata (interdum et novenata) reliqua quinata, summa trifoliata opposita: foliola undique pilis raris adpressis obsita, serraturis (in spontanea planta) profundioribus. Stipulae lineari-lanceolatae, acuminatae. Caulis superne dichotomo-paniculatus, ramulis oppositis. Flores dichotomales, longiuscule pedicellati, post anthesin erecti. Bracteolae lineari-lanceolatae, laciniis calycinis semi-lanceolatis, acuminatis aequales. Petala obcordata flava, calyce paullo longiora. Akenia rugulosa. Flores magnitudine P. vernae, (in icone majores!). Nestler.

Hab. in Delphinatu, et Transsylvaniae petris calcareis. ♃. Ne minimam quidem similitudinem habet cum P. norwegica, cui tamen P. intermedia L. similis esse debet, nec folia caulina ternata, praeter sola floralia. Similis potius P. pilosae, a qua tamen caulibus minus strictis, foliis septenatis, obovatis et minus profunde serratis sufficienter differt. Nominavi in memoriam C. G. Nestler M. D. et pharm. prof. argentoratensis, qui primus hanc plantam in sua Monographia de Potentilla descripsit. Specimem a cel. Dre Baumgarten sub nomine P. adscendentis communicatum, cum hac gallica in omnibus absolute convenit, praeter quod petala calyce duplo majora sunt. T.

POTENTILLA *pàtula. Waldst. Kit.*

P. caulibus subdeclinatis, foliis infimis septenatis quinatisque, rameis ternatis trifidisve, foliolis cuneatis, superne inciso-serratis, subtus pilosis, petalis obcordato-subrotundis, calycem superantibus. Lehmann.

Potentilla patula. Waldst. Kitaib. Pl. rar. Hungar. II. p. 218. tab. 199. Besser. fl. Gal. I. 332. Spreng. pugill. 2. p. 67. no. 129. Nestl. Potent. p. 56. no. 41. Lehm. Pot. p. 103. no. 43.

Radix nigro-fusca multiceps. Caules subdeclinati, teretes, digitales et spithamei, superne dichotomo-ramosi: ramis patentibus pubescenti-pilosis. Folia radicalia longe-petiolata, septenata quinataque, ramea (suprema) sessilia (inferiora longissime petiolata, petiolis filiformibus. T.) ternata vel simplicia, plerumque opposita. Foliola sessilia, cuneiformia, superne inciso-serrata, in summis foliis integerrima, supra nuda, subtus pilosa, margine subciliata, utrinque laete viridia. Stipulae ovatae, acuminatae, magnae, integerrimae, subtus subpilosae. Flores paullo minores quam in P. verna, plus minusve pedicellati: pedicellis erectis filiformibus pubescentibus canescentibus, aliis supra dichotomias ortis, aliis ramos terminantibus solitariis conjugatisve, quorum alter aphyllus, alter plerumque bracteis duabus oppositis lanceolatis integerrimis instructus. Calyx hirsutus: foliolis aequali fere longitudine, acutis, exterioribus linearibus canaliculatis; interioribus ovatis. Corolla flava: petalis obcordato-subrotundis, levissime emarginatis, calycem (vix) superantibus, subtus pallidioribus. Lehmann.

Hab. in montibus carpathicis locis apricis. Fl. Majo Junio. ♃. Affinis P. opacae. In foliis radicalibus (magnitudine illis P. argenteae majoris aequalibus) foliola etiam ad latera 9—11 dentata, dentibus linearibus patentibus; in superioribus dentes plerique porrecti acuti. Stipulae magnae, ovato-lanceolatae, ciliatae. T.

POTENTILLA *patula tenella.*

Distinguitur habitu tenello, multicauli, foliolis lineari-cuneatis, acutiusculis, inciso-serratis, utrinque, subtus tamen magis pilosis, sepalis interioribus fuscis exterioribus viridibus, et petalis calyce fere duplo majoribus.

Hanc accepi ex Transsylvania a Dre. Baumgarten sub nomine P. hirtae. Est planta admodum tenella, etsi cauliculi plus quam digitales; sed folia tenerrima et fere usque ad basin inciso-serrata vel potius pinnatifida.

Hab. in elatioribus arenosis ad Scycsvár; fl. Aprili.

POTENTILLA *adscèndens. W. K.*

P. caule adscendente, dichotomo; foliis radicalibus septenatis, foliolis cuneato-oblongis antice mucronato-dentatis, utrinque, subtus tamen magis pubescentibus ciliatis; corollis calyce minoribus. T.

Potentilla adscendens. Waldst. Kitaib. ined. Willd. En. h. ber. I. 554. Schult. Oesterr. Fl. ed. 2. II. 87. Baumgart. Fl. transsylvan. II. p. 62. no. 998.

Caules adscendentes, semipedales, subangulati, tomentosi et pilosi, basi purpurascentes, superne dichotomo-ramosi, ramis patentibus; folia radicalia longissime petiolata, septenata, basi stipulata, foliolis extimis minimis plerumque inaequalibus; caulina alterna, inferiora petiolata quinata summa subsessilia ternata et tandem simplicia, petiolis canaliculatis, cano-pilosis, pilis patentibus. Stipulae infimae lineari-lanceolatae, superiores ovato-lanceolatae. Foliola, praesertim intermedia oblonga (pollicaria et ultra), anguste cuneata, apice rotundata, 3 — 5 — 7-dentata, dentibus rotundatis, in foliolis quibusdam majoribus apice subtilissime sphaceloso-mucronatis (raro in foliolis lateralibus dens unus alterve infra apicem!), ramea alterna, ceterum radicalibus conformia, omnia utrinque sordide virentia, et, subtus tamen magis, pubescentia. Flores in dichotomia caulis terminales pedunculati patentes vel nutantes, pedunculo primario semper breviore. Calyx villosus, laciniis longitudine aequalibus, exterioribus linearibus obtusis, interioribus duplo latioribus, semiovatis acutis. Petala aurea obcordata, basi maculata, calyce breviora, vel calyci subaequalia. Akeniae pallidae rugulosae, nitidae. T.

Hab. in montibus calcareis umbrosisque Transsylvaniae. Fl. Majo, Junio. ♃. Affinis P. salisburgensi, nullo autem momento P. canescenti. A P. patula differt foliis majoribus, apice tantum dentatis, nec inciso-dentatis, calycis laciniis exterioribus non convolutis filiformibus, et corollis calyce minoribus; praecipue vero foliis caulinis inferioribus multo brevius petiolatis. Vidi in herbario d. Dris. Portenschlag a Baumgartenio missam. Mihi vero sub eodem nomine Dr. Baumgarten hujus loco P. Nestlerianam communicavit. T.

POTENTILLA *collina. Wibel.*

P. caule adscendente, foliis inferioribus quinatis, superioribus ternatis, foliolis cuneiformibus, apice obtuse dentatis, margine planis, subtus canesti-tomentosis, petalis subretusis calyce longioribus. Lehmann.

Potentilla collina. Wibel. Primit. flor. werthem. II. 267. Diar. bot. Flora dict. Ann. 2. T. I. p. 72. Lehm. Potent. p. 99. no. 40.

Caules ex eadem radice plures, adscendentes vel suberecti, teretes, pilis mollissimis pubescentes, inferne simplices superne ramosi: ramis erecto-patentibus. Folia inferiora longe petiolata, quinata, superiora brevius petiolata, ternata, suprema sessilia simplicia. Foliola sessilia, cuneiformia, lateralia multo minora, supra viridia pubescentia, subtus canescenti-tomentosa, margine plana, apice dentata: dentibus latiusculis, rotundato-obtusis. Stipulae ovato-lanceolatae, integerrimae, pubescentes, subtus canescentes. Flores pedicellati, in summis caulibus sparsi, subcorymbosi, bracteis suffulti. Calyces villosi, canescentes: foliolis exterioribus brevioribus, oblongis, obtusis; interioribus semi-ovatis acutis. Corolla lutea: petalis levissime emarginatis, calyce longioribus. Receptaculum acheniaque glabra. Lehmann.

Hab. in agro werthemensi. Floret Aprili, Majo. ♃. In herbario Dni. Sauter vidi specimina in Stiria prope St. Gotthart in rupib. calcar. lecta, in quibus etiam pili stellati ope microscopii cognosci poterant. Sed tota planta major erat, foliola antice tantum obtuse dentata, rotundata, basi cuneata, subtus canescentia, petala calyce fere duplo majora, leviter emarginata. An sufficienter distincta a P. subacauli? T.

POTENTILLA *subacàulis*. *L*.

P. caule decumbente, foliis quinatis ternatisve, foliolis obovatis, rotundato-obtusis, crenatis, pilis adpressis (rectis et) stellatis, subincano-tomentosis, petalis obcordatis calyce fere duplo longioribus. Lehmann.

Potentilla subacaulis. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 715. Jacq. Collect. II. 145. Ej. Ic. rar. III. 491. Lehm. Potent. p. 120. no. 51. (c. plur. Synon.)

Potentilla glaucescens. Conspect. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. VII. ann. 289.

Potentilla ovata. Poiret. Enc. V. 601. (?)

Potentilla incana. Fl. d. Wetterau. II. 248.

Potentilla arenaria. Borkhaus. Fl. Catzenelnb.

Potentilla verna. var. β. Allion. pedem. II. no. 1481. t. 24. f. 2.

Potentilla verna var. δ. Willd. Sp. pl. II. 1104.

Potentilla opaca var. β. Lapeyr. fl. pyr. p. 288.

Caules plures digitales et longiores, decumbentes vel adscendentes, villoso-canescentes. Folia primordialia quinata, seriora quinata, quaternata ternataque, summa simplicia trifida. Fóliola sessilia, rigidiuscula, obovata, rotundato-obtusa, margine obtuse dentata, utrinque subtus tamen magis villoso-incana pilis tenuissimis stellatis, tectis a pilis rectis incumbentibus caducis. Stipulae fol. radicalium lanceolatae longissimae, caulinorum latiores et breviores. Flores brevi-pedicellati, bracteis suffulti plerumque integerrimis. Sepala inaequalia, exteriora linearia multo minora, interiora semi-ovata, omnia obtusiuscula. Corolla lutea: petalis obcordatis calyce duplo longioribus. Akenia pallida, rugulosa. T.

Hab. in Germania, Hungaria, Helvetia, Gallia et Italia. ♃. Fl. a primo vere usque ad autumnum. In Caucasi viciniis habetur varietas scapigera, s. caule aphyllo: (v. Marsch. Bieb. fl. taur. cauc. I. 409.) an mera varietas? — Vidi etiam varietatem foliis fere omnibus ternatis, foliolis cuneatis, antice tantum crenatis supra pubescentibus, nec stellato-pilosis. T.

POTENTILLA *cinerea. Chaix.*

P. radicibus caulescentibus; caulibus secundariis rectis, filiformibus, elongatis, patenti-pilosis; foliis quinato-digitatis: foliolis obtuse dentatis, utrinque stellato-pilosis; corollis calyce majoribus. T.

Potentilla cinerea. Chaix apud. Vill. in Fl. delph. III. 567. sub. Pot. opaca. Nestl. Pot. p. 54 no. 37. De Cand. Fl. fr. IV. 460. Loisel. Fl. gall. I. 301. Pers. Syn. pl. II. 55. Poiret. Enc. b. Suppl. IV. 539.

Radix sursum ramosa, lignescens, reliquiis squammosis foliorum detritorum undique tecta, ramulis adscendentibus. Ex quolibet termino horum cespes enascitur foliorum plurimorum radicalium, quorum petioli admodum inaequales semi-, ad usque 4-pollicares, patenti-pubescentes et simul pilis stellatis muniti sunt. De his foliis brevius petiolata pleraqua ternata, reliqua quinata sunt. Foliola semiuncialia, sordide virentia, utrinque pubescentia, et pilis stellatis minutissimis tomentosa, basi cuneata integra, antice rotundata et inciso-dentata sunt, dentibus ipsis obtusis, rotundatis, margine plerumque villosa. Caules secundarii ex uno radicis capite 1—3, erecti, filiformes, foliis longiores, petiolis similes, uno alterove folio tripartito vel trifido stipulis insidente muniti. Stipulae inferiores lineares, longissime petiolo adnatae, apice divergentes, superiores magnae, ovatae, integerrimae, obtusae, ceterum foliis aequales. Pedunculi elongati, stricti, dichotomi. Flores, 3—5, majores quam in P. subacauli, pallide flavi. Calycis laciniae exteriores paullo minores, omnes ovatae, obtusae, indumento foliis aequales. Petala calyce duplo majora, raro emarginata. T.

Hab. in Gallia et Helvetia. ♃. Differt a P. subacauli, quacum Pr. Lehmann ut Synon. conjunxit, statura majori, stricta: foliis non canescentibus, oblongis, pedunculis elongatis. Etiam ab Hallero fil. ejusdemque censore pro specie distincta agnoscitur. V. Flora. ann. IV. P. II. p. 709. V, s. sp. in herb. Dni. Sauter. T.

POTENTILLA *Lindäckeri. Tausch.*

P. hirsuta, pilis subadpressis; foliis radicalibus quinatis; foliolis cuneatis, inciso-dentatis; dentibus oblongis, apice rotundatis; caulibus filiformibus procumbentibus; corollis calycem superantibus. Tausch.

Potentilla Lindackeri. Tausch in Diar. bot. Flora dicto: ann. 2. P. II. p. 466.

Caulis duos, tres pollices ad usque pedem longus; flores uti in P. opaca. Foliola cuneata, antice inciso-dentata, pilis adpressis longis nitida, praesertim subtus. Dentes oblongi, distincti, apice rotundati, aequales, terminali paullulum breviore.

Hab. in declivibus graminosis montis retro Grosskuchel, in Bohemia, cum P. opaca; et circa Königsaal (ubi invenit Opiz.) Fl. Aprili, Majo. ♃. Differt a P. patula. W. K. et P. incisa Nestl. (Desf.) foliolis latioribus, apertius cuneatis, minus distantibus, dentibusque aequalibus rotundatis. (Ex Tauschio l. c.) Dicit cell. auctor l. c. p. 467 se vidisse eamdem speciem in herbario Sternbergiano (olim Lindackeriano) sub nomine P. tormentilloidis Mayer. Hanc vero declarat esse Tormentillam reptantem (P. nemoralem Nestl.). Sed Synonimon P. tormentilloidis Mayer. pertinet ad P. opacam. Inde mihi dubium nascitur, numne fortasse praesens planta potius ad P. opacam referri debeat: saltem illi poxima esse videtur. In dicto Diario: ann. 3. P. I. p. 207. anonymus putat, esse fortasse P. intermediam. Sed P. intermedia usquedum planta admodum dubia et litigiosa est. Deberet ergo declarari, qualem P. intermediam putaverit censor? T.

POTENTILLA *opàca.* L.

P. caule decumbente filiformi, foliis infimis septenatis quinatisque, foliolis lanceolato-cuneiformibus, profunde serratis utrinque prolixe pilosis, petalis obcordatis calycem aequantibus. Lehmann.

Potentilla opaca. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 713. Nestler. Pot. p. 54. no. 38. Lehm. Pot. p. 105. no. 44. (c. plur. Synon.) Jacq. Ic. rar. I. tab. 91. Sturm Deutschl. Fl. I. Abth. V. Bd.

Potentilla galiciana. Bess. Cat. h. b. cracov.

Potentilla tormentilloides. Meyer. physik. Aufs. vol. 2.

Caules in eodem caespite multi, laterales decumbentes, intermedii adscendentes, teretes, superne dichotomo-ramosi, spithamei, filiformes, laxi, plerumque atropurpurei: pilis longis mollibus patentissimis adspersi. Folia radicalia longissime petiolata, septenata, quinataque, rarius nonnulla novenata; caulina inferiora, quae rarius adsunt, brevius petiolata, quinata, summa sessilia, opposita, ternata vel simplicia. Foliola sessilia, lanceolato-cuneiformia, profunde serrata, pilis longis mollibus, patentibus utrinque instructa. Stipulae oblongo-lanceolatae, integerrimae. Flores erecti longe pedicellati, in corymbis terminalibus foliosis dispositi: pedicellis filiformibus purpurascentibus, in flore erectis, crescente fructu cernuis. Calycis foliola exteriora linearia, breviora; interiora semiovato-lanceolata. Corolla parva, aurea: petalis obcordatis calycem aequantibus vel paullo superantibus, basi macula fulva notatis. Receptaculum villosum. Lehmann.

Hab. per totam Europam, in planitiebus ad Caucasum occidentalem, in Sibiria et in Labradore (Americae septentrionalis) etc. locis siccis, sub dumetis etc. Variat colore purpurascente et foliorum magnitudine usque ad illam P. canescentis. Foliola modo truncata modo acuminata sunt, nonnunquam inciso-imo pectinato-dentata. Etiam hirsuties valde anomala est. Petala semper vidi calyce fere duplo longiora. An Willdenowii P. laxa et humifusa, Suterique P. dubia merae hujus varietates sint, tum temporis decidere non audeo. T.

POTENTILLA *pumila. Poiret.*

P. erecta, subacaulis, villosa, foliis quinatis cuneiformibus, apice dilatatis incisis, subtus lanuginosis; pedunculis petiolo brevioribus simplicibus unifloris; petalis rotundatis calyce vix longioribus. Pursh.

Potentilla pumila. Poiret. Encycl. bot. V. 594. Pursh. Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 354. Lehm. Potent. p. 194.

Planta pusilla, radiculis fibrosis, nigricantibus. Folia radicalia copiosa, caespitosa, petiolata: foliola 5, inaequalia, cuneiformia, apice dilatata, antice incisa, subtus albida vel cinerascentia, supra viridia, obiter pubescentia. Stipulae membranaceae, acuminatae, pubescentes pariter ac petioli. Caules simplices petiolis breviores, ad basin pedunculi cum caule continui foliolo florali muniti, simplices, pubescentes, uniflori. Calyx albido-pubescens; corolla pallide flava: petalis subrotundis integris vix calyce longioribus.

Hab. in campis et pascuis siccis Canadae et Virginiae, ♃. Fl. a Majo ad Julium. Simillima P. vernae. Pursh v. v.

POTENTILLA *verna*. L.

P. caule declinato, foliis infimis quinatis, foliolis obovato-cuneiformibus superne profunde serratis, subretusis, utrinque pilosis, petalis obcordatis calyce longioribus. Lehmann.

Potentilla verna. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 712. Sturm Deutschl. Fl. I. Abth. 5. Bd. Lehm. Pot. p. 108. no. 45. (c. pl. Syn.)

Potentilla serotina. Villars. fl. delph. III. 564.

Radix lignosa, ramosa, superne squammis latis ferrugineis vestita. Caules multi, declinati, divaricati, teretes, digitales, ramosi, purpurascentes, multiflori. Folia radicalia longe petiolata, quinata, caulina inferiora brevi-petiolata, ternata, summa sessilia, simplicia. Foliola sessilia, obovato-cuneiformia, superne profunde serrata, subretusa, utrinque plus minusve pilis longioribus brevioribusque adspersa. Stipulae latae, integrae, acutae, petiolo adnatae. Flores in superiore caule longe pedicellati, bracteis suffulti; pedicellis filiformibus pilosis. Calycis foliola aequali fere longitudine, acuta, exteriora semilanceolata, interiora semiovata. Corolla flava: petalis obcordatis calyce longioribus. Lehmann.

Hab. per omnem Europam et Asiam borealem in pascuis et collibus apricis. Floret Aprili, non raro usque in autumnum. ♃. Variat pilositate et statura, rarius foliis, quae fere semper quinata sunt. A Pot. subacauli facile distinguenda defectu pilorum stellatorum et canitiei, a P. Brauneana autem foliis quinatis. Villarsius hanc speciem bis habet sub nomine P. vernae, et P. serotinae. Sed P. verna pro diversitate tempestatis non raro reviviscit, et serius secunda et tertia vice floret per annum. T.

POTENTILLA *Vahliana. Lehm.*

P. caule erecto subunifloro, foliis ternatis, foliolis lateralibus cuneiformibus trifidis, terminali rhomboideo, hirsutissimis, subtus nitidis, albo-flavescentibus, petalis subreniformibus, calyce duplo longioribus. Lehmann.

Potentilla Vahliana. Lehmann. Pot. p. 172. no. 75.

Potentilla hirsuta. Hornem. Dansk. plant. ed. 2. p. 500. Fl. dan. VIII. 1390.

Radix caulescens, ramosa (lignosa) extus (rubro-) fusca. Caules (ex eodem radicis ramulo) saepius plures, erecti, teretes, simplices, vix digitali longitudine, uti tota planta pilis flavescentibus hirsutissimi, uniflori vel biflori. Folia inferiora ternata, brevi-petiolata, circa radicem congesta; foliolis sessilibus, lateralibus cuneiformibus superne trifidis vel tridentatis, terminali majore rhomboideo, superne inciso-serrato; superiora folia stipulis insidentia, brevi-petiolata, summum simplex sessile, omnia supra laete viridia, subtus nitida, albo-flavescentia. Stipulae foliorum inferiorum lanceolatae, superiorum ovatae, magnae, integerrimae. Calycis foliola irregularia, semiovata, aequali fere longitudine, majora non semper cum minoribus alternantia. Corolla pro planta magna, lutea (in speciminibus Gisekeanis videntur pallide flava): petalis calyce duplo longioribus, obcordatis, valde emarginatis, et dum eorum latitudo longitudinem superat, subreniformibus. Lehmann.

Hab. in Groenlandia. ♃. (potius ♄.) Specimina a Gisekeo in Groenlandia lecta, quae in herbario Portenschlagiano vidi sub nomine P. hirsutae et P. groenlandicae. Sunt veri frutices: nam caudex intermedius sursum ramosus per muscos repens, vere lignosus est veluti in Helianthemis, Vacciniis, Pyrolis et sim. Calyx intus glaber. Petala venosa. Foliola profunde inciso-serrata. Reliqua iconi et descriptioni perfecte conveniunt. T.

POTENTILLA *nàna. Willd.*

P. caule erecto subunifloro, foliis ternatis, foliolis subrotundo-obovatis, obtuse dentatis, utrinque pilosis, subtus canescentibus, petalis obcordatis, calyce triplo longioribus. Lehmann.

Potentilla nana. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 296. Lehm. Pot. p. 181. no. 80. tab. 17.

Caules plures, erecti, unciales, pilis longis patentibus tecti. Folia radicalia congesta, petiolata, ternata: foliolis subrotundo-obovatis, obtuse dentatis, utrinque pilis longis incumbentibus albis instructis, subtus caneseentibus. Folia caulina 2—3, infimum ternatum, sessile, summum monophyllum, dentatum. Stipulae petiolares, ovatae, magnae, membranaceae. Flos in singulis caulibus terminalis, plerumque solitarius, interdum 2—3, erecti, pro planta magni, ebracteati. Calyces pilosi: foliolis aequali fere longitudine, exterioribus subrotundis, obtusissimis, interioribus semiovatis, acutis. Corolla magna, pallide flava: petalis obcordatis, calyce triplo longioribus, venosis. Receptaculum hemisphaericum, villosum. Lehmann.

Hab. in insulis (aleuticis) inter Asiam et Americam. Foliola insigniter dilatata, profunde, et pauci-dentata. P. nana H. B., nobis P. Humboldtiana dicta fuit; quam quidem cel. Prof Lehmann pro mera P. candicantis varietate declaravit, et perinde nomen triviale in praesentem speciem transtulit; nos vero speciem Humboldtianam agnoscentes, non potuimus nomen pristinum illi restituere, quia praesens interea jam sub hoc nomine divulgata fuit. T.

POTENTILLA *emarginàta. Pursh.*

P. caule assurgente paucifloro, foliis ternatis: foliolis inciso-dentatis, utrinque hirsutis, pedicellis terminalibus elongatis; petalis cuneato-oblongis, emarginatis, calyce duplo longioribus. Lehmànn.

Potentilla emarginata. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. I. 353. Poir. Enc. bot. Suppl. IV. 541. Lehm. Pot. p. 174. no. 76.

Planta parva, hirsuta, stipulis ovatis integerrimis, foliolis sessilibus approximatis, ambitu inciso-dentatis, pedicellis paucis terminalibus, elongatis, unifloris; floribus relative magnis: petalis admodum distincta.

Hab. in Labrador. ♃.

POTENTILLA *salisburgènsis. Haenke.*

P. caulibus flexuosis adscendentibus, foliis radicalibus infimisque subrotundis quinatis, foliolis cuneatis apice dilatatis rotundatis inciso-crenatis, plus minus pubescentibus vel tomentosis, petalis obcordatis, calyce majoribus. T.

Potentilla salisburgensis. Haenke. in Jacq. Coll. II. 68. Jacq. Ic. rar. III. p. 6. tab. 490. Sturm Deutschl. Fl. I. Abtheil. 5 Bd. Braune Fl. salisb. II. 78. Schultes Oesterr. Fl. ed. 2. II. 89.

Potentilla crocea. Lehmann. Potent. p. 111. no. 46.

Potentilla filiformis. Vill. Fl. delph. III. 564. De Cand. Fl. franç. VI. 542. no 3741[a].

Potentilla rotundifolia. Vill. l. c. p. 565.

Potentilla pyrenaica. Poir. Enc. Suppl. IV. 539. De Cand. Fl. franç. VI. 542.

Potentilla adscendens. Lapeyr. fl. pyr. 290.

Potentilla verna. var. γ. Nestl. Potent. p. 52.

Caules ex eadem radice plures unciales, digitales, semipedales, et ultra, alii decumbentes, alii erecti vel adscendentes, plus minus flexuosi, simplices vel apice subramosi, plus minus pubescentes vel villosi. Folia radicalia plus minus longe petiolata, caule semper breviora, quinata, caulina distantia, ternata, subsessilia, summa simplicia. Foliola subsessilia, cuneiformia, antice rotundata, incisa vel crenata, dentibus obtusis, utrinque, subtus tamen magis pubescentia vel villosa, dilute virentia, directione flabellum in circulum expansum referentia, subavenia. Stipulae magnae, ovato-lanceolatae, plerumque integerrimae. Flores in summitate caulis vel ramulorum solitarii laxe pedunculati, pedicellis calycibusque tomentosis. Calycis foliola exteriora lineari-elliptica breviora obtusiuscula, plerumque colorata vel saltem marginata, interiora ovata, plerumque acuta. Corolla calyce fere duplo major, petalis obcordatis aureis, vel quandoque croceis. T.

Hab. in alpinis et subalpinis Salisburgi, Hungariae, Italiae, Galliae et Hispaniae. ♃. Planta valde anomala. Restitui nomen antiquum, nam si ex hac caussa, quam cel. Prof. Lehmann adducit, nomen patria desumptum alienari deberet, tunc etiam Dracocephalum austriacum, Linum gallicum, Hieracium sabaudum, et centum aliae nominis sui jacturam pati deberent. T.

POTENTILLA *salisburgensis depressa.*

Distinguitur (quatenus distinguenda !) habitu humiliori, caulibus rubentibus, foliolis determinate cuneiformibus, antice insigniter rotundatis, et petalis ad unguem macula saturatiore notatis.

Sed haec omnia vix sufficiunt ad subspeciem distinguendam: nam P. salisburgensis et depressa (s. sabauda) in iisdem locis intermixtae proveniunt, et per omnes modificationes in se invicem transeunt. In specie maculas illas supra commemoratas in omnibus utriusque speciei speciminibus vidi. Dixi hanc P. sal. d e p r e s s a m ad imitationem Willdenowii in Conspectu Pot. herb. Willd. v. Mag. d. Ges. naturf. Fr. z. Berl. VII. ann. 289. Nam nomen s a b a u d a e ad latus s a l i s b u r g e n s i s irregularitatis vitio vituperandum fuisset. Ceterum ad hanc subspeciem referuntur sequentia Synonima:

Potentilla Sabauda. De Cand. fl. fr. IV. 458. no. 3758. et. VI. 541.

Potentilla rubens. Vill. fl. delph. III. 566. Pers. Syn. pl. II. 55.

Potentilla juratensis. Seringe. Cent. exsicc.

Potentilla aurea. Smith. Prodr. fl. graec. I. no. 1181. Ej. fl. britt. II. p. 549. (excl. Syn. Hall.)

Potentilla verna. var. β. Nestl. Pot. p. 52. Wahlenb. fl. lapp. no. 264.

Potentilla verna. var. γ. Willd. Sp. pl. II. 1124. Sowerb. Engl. Bot VIII. 561.

POTENTILLA *ranunculòides.* *H. B.*

P. caule erecto paucifloro, foliis radicalibus septenatis quinatisve, foliolis obovato-subrotundis, obtuse dentatis, subglabris, petalis obcordatis calyce paullo longioribus. Lehmann.

Potentilla ranunculoides. Humb. et Bonpl. ined. Nestl. Pot. p. 56. tab. 3. fig. 1. Lehm. Pot. p. 114. no. 47.

Potentilla macrorhiza. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. naturf. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 292. (in fidem avt. Lehmanni.)

Radix magna, fusiformis, extus fusca. Caules ex eadem radice plures, simplices, erecti, teretes, pubescenti-pilosi, vix semipedales, pauciflori, foliis duobus aut tribus ternatis, stipulis insidentibus instructi. Folia radicalia plus minusve petiolata: petiolis pilosis, septenata quinataque. Foliola in orbem fere disposita, brevi-petiolata vel subsessilia, obovato-subrotunda, superne grosse dentata: dentibus obtusis; supra glabra, pallide viridia; subtus ad costam margineque pilis tenuissimis mollissimis patentibus adspersa, lateralia sensim minora, incumbentia. Folia caulina radicalibus multo minora sensimque brevius petiolata, ternata, stipulis lanceolatis integerrimis insidentia: foliolis in summo caule integerrimis lanceolatis. Flores nonnulli caulem terminantes, erecti, pedicellati, bracteis suffulti, magnitudine florum P. vernae. Calyx pilosus: foliolis ovato-oblongis, exterioribus brevioribus. Corolla lutea: petalis obcordatis calyce paullo longioribus. Receptaculum pilosum: acheniis laevibus pallidis.

Hab. ad pedem montis mexicani Cerro de las Cruces. Fl. Septembri. ♃. Simillima P. salisburgensi et vix specie distinguenda. T.

POTENTILLA *canadènsis. L.*

P. caule adscendente debili, foliis radicalibus quinatis, foliolis sessilibus obovato-cuneiformibus, superne (antice) acute serratis, candicanti-sericeis, petalis orbiculatis subintegris longitudine calycis. Lehmann.

Potentilla canadensis. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 713. Mich. fl. bor. amer. I. 303. Pursh. fl. Amer. sept. I. 354. Nestler. Potent. p. 58. no. 43. tab. 10. fig. 1. Lehm. Potent. p. 118. no. 49.

Radix ramosa, fibrosa, extus fusca. Caules subsimplices, adscendentes, teretes, graciles, pilis patentibus albis hirsuti, digitales et spithamaei. Folia quinata, summa interdum ternata, radicalia longissime petiolata, caulina distantia, brevius petiolata. Foliola sessilia, obovato-cuneiformia, superne acute serrata, lineata, laete viridia, pilis incumbentibus candicantibus dorso magis quam superiore pagina sericea. Stipulae ovatae, acutae, integerrimae vel incisae. Pedicelli in superiori caule axillares, solitarii, filiformes, laxi, elongati. Calycis foliola subaequalia, lineari-lanceolata, candicanti-sericea. Corolla lutea: petalis orbiculatis, levissime emarginatis, longitudine calycis. Lehmann.

Hab. in arvis Canadae et Carolinae. Floret a Majo ad Augustum. ♃. Affinis P. salisburgensi.

POTENTILLA *heterophylla. Lapeyr.*

P. foliis radicalibus septenatis hispidis, partim subsessilibus, partim petiolatis, caules superantibus; petalis integris calycem aequantibus. Picot de Lapeyrouse.

Potentilla heterophylla. Lapeyr. hist. abr. d. pl. d. Pyren. p. 289. Ej. fl. pyr. tab. 107. Nestl. Pot. p. 56. no. 39.

Hab. in montibus pyreneis: Pic de Gard, à la M. de Crabère, à St. Béat vers Gery sur la pelouse. Flores lutei. Cel. Prof. Lehmann hanc ut Synonimon ad suam P. croceam (P. salisburgensem) adducit; sed P. salisburgensis nunquam habet folia radicalia sessilia vel caulibus longiora, multo minus petala integra calyci aequalia. Ex hac denique causa eam considero ut speciem penitus distinctam. T.

POTENTILLA *debilis. Schleich.*

P. caule erecto debili tenue villoso; foliis radicalibus quinatis; foliolis obovatis obtusis, infra medium inciso-dentatis, supra glabris, subtus et margine pilosis; stipulis inciso-dentatis; corollis calyce majoribus. T.

Potentilla debilis. Schleich. Pl. exsicc.

Caules ex una radice plures adscendentes, 6—10 unciales, angulati, striati, undique villis longis tenuissimis albis muniti, inferne simplices, superne dichotomi. Folia radicalia (illis P. salisburgensis subsimilia) parva, longe petiolata, quinata: foliolis obovatis, apice rotundatis, deorsum ultra medium inciso-dentatis, dentibus obtusiusculis, extimis paullo minoribus, supra glabris, subtus ad nervos pilosis, pilis longis patentibus, margine ciliatis: caulina inferiora, nonnunquam et superiora quinata, ternata et tandem simplicia, sensim brevius petiolata, summa sessilia; foliola suprema profundius incisa, angustiora, et cuneato-lineari-lanceolata, ceterum reliquis similia; omnia concoloria, dilute ex flavo-virentia. Stipulae magnae, petiolo adnatae, ovato-lanceolatae, infimae et radicales subintegrae, superiores trifidae, summae pinnatifidae. Ramificatio dichotoma, pedicellis brevibus tenue villosis. Calycis laciniae exteriores interioribus vix breviores, lineares obtusiusculae, interiores duplo latiores, semi-lanceolatae, villis longis sparsis munitae. Petala aurea basi maculata, subrotunda, apice emarginata, calyce majora. Gynophorum niveo-sericeum. T.

Hab. in Helvetia. Vidi in herbario Dni. Sauter, Medicinae candidati, qui illam ex horto graecensi Joannei accepit. Differt a P. salisburgensi: a.) caule longiore debili; b.) foliolis obovatis, ad latera dentatis, infimis subaequalibus; c.) stipulis incisis; d.) sepalis subaequalibus. T.

POTENTILLA *grandiflora. L.*

P. caule adscendente paucifloro, foliis ternatis: foliolis subrotundo-ovalibus, acute serrato-dentatis, adpresso-pilosis, petalis obcordatis, calyce duplo longioribus. Lehmann.

Potentilla grandiflora. Linn. Sp. pl. ed. 2. I (excl. Synon. Vaill.) Curt. Bot. Mag. III. no. 75. (excl. Vaill. Synon.) c. icone. Nestl. Pot. p. 69. no. 59. Lehm. Pot. p. 164. no. 71. (c. plur. Synon.)

Radix lignosa, ramosa, extus fusca. Caules adscendentes teretes, pilosi, basi reliquiis foliorum emarcidis instructi, pauciflori. Folia ternata, radicalia longe petiolata, caulina alterna, distantia, sensim brevius petiolata. Foliola subrotundo-ovalia (vidi saepius obovata, basi subcuneata T.), serrato-dentata, utrinque pilosa, subtus venosa, lateralia sessilia, intermedium petiolatum. Stipulae ovato-lanceolatae, integerrimae. Flores in summis caulibus nonnulli, longe pedicellati, bracteis suffulti: pedicellis gracilibus bracteisque pilosis. Calycis foliola exteriora linearia, reliquis breviora, interiora lanceolata, acuta. Corolla magna lutea: petalis obcordatis, calyce duplo longioribus. Lehmann. Akenia laevia, pallida. T.

Hab. in pascuis saxosis alpium Europae meridionalis. ♃. Plantae sibiricae et caucasicae non videntur esse ejusdem speciei: nam Marsch. Bieberst. in fl. taur. cauc. I. 409. dicit: „foliola apice profunde dentata, calycina segmenta obtusa.“ In flora sibirica III. t. 35. fig. 2. delineata est varietas caule digitali, petalis calyce minoribus, stipulisque inciso-dentatis. Haec penitus alia, etsi diversa a caucasicis vix digitalibus. Vidi ceterum specimina sesquipedalia et semipedalia, dentibus foliolorum plus minus incisis, rotundatis et argutis; foliola autem omnia, exceptis floralibus, semper vidi toto ambitu dentata, nec apice solum. Vidi etiam folia radicalia inaequaliter et subduplicato-dentata. T.

POTENTILLA *frágiformis. Willd.*

P. caule erecto paucifloro, foliis ternatis, foliolis obovato-subrotundis, obtuse dentatis, utrinque patenti-pilosis, margine villosis, petalis obcordatis calyce paullo longioribus. Lehmann.

Potentilla fragiformis. Willd. Conspect. Pot. herb. Willd. in Magaz. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 294. Lehm. Pot. p. 163. no. 70. t. 15.

Radix fusiformis, lignosa, superne tecta reliquiis emarcidis foliorum praeteritorum annorum. Caules erecti, teretes, spithamaei et longiores, 2—3 flori, basi purpurascentes, pilosi. Folia ternata, radicalia longe petiolata: petiolis subflexuosis, pilis patentibus; caulina, 1—2, distantia, brevius petiolata. Foliola subsessilia, obovato-subrotunda, obtuse dentata, venosa, utrinque pilis patentibus flavis instructa, margine villosa. Stipulae lanceolatae, integerrimae, margine villosae. Flores in summo caule 2—3, erecti, bracteis trifidis pilosis suffulti, longe pedicellati: pedicellis gracilibus. Calyces villosi, foliola exteriora reliquis multo breviora, oblonga, obtusa; interiora lanceolata, acuta, longitudine fere petalorum. Corolla aurea: petalis obcordatis, reticulato-venosis, calyce paullo longioribus. Receptaculum villosum: acheniis laevibus. Lehmann.

Hab. in insulis inter Asiam et Americam. ♃. Affinis P. grandiflorae et quasi intermedia inter hanc et P. norwegicam. T.

POTENTILLA *Vaillantii. Nestl.*

P. caule filiformi, pedunculis petiolisque patenti-villosissimis; foliis ternatis, foliolis elliptico-obovatis, antice conniventi-serratis, supra sparse pilosis, subtus glaucescenti-sericeis; petalis obcordatis, calyce majoribus. T.

Potentilla Vaillantii Nestl. Potent. p. 75. no. 67.
Potentilla splendens. Pers. Syn. pl. II. 55. Lehm. Pot. p. 175. no. 77.
Potentilla nitida. Thouill. Fl. par. ed. 2. p. 257.
Potentilla montana. Brot. Fl. lusit. Schrad. n. Journ. II. Bd. 1. St. 1807. p. 101.
Fraga Vaillantii. Lapeyr. fl. pyren. p. 287.
Fragaria sterilis amplissimo folio et flore. Vaill. Bot. par. p. 55. tab. 10. f. 1. (icon minus bona.)

Radix repens, lignosa, extus rufo-nigricans reliquiis stipularum et petiolorum emortuorum superne tecta, radiculas filiformes demittens, apice plures caules et folia gerens. Caules graciles filiformes, unciales usque digitales, apice dichotome in 2—3 pedunculos longissimos adhuc teneriores divisi, cum his undique hirsuto-villosi, pilis canescentibus, patentissimis. Folia radicalia plurima, petiolis longitudine maxime inaequalibus, hirsuto-villosissimis, pilis longis, patentibus, omnia (nisi per errorem Naturae) ternata: foliolis dimidium vel unum pollicem longis, 2—4 lineas latis, elliptico-obovatis, apice conniventi-serratis, supra obscure vel ex rubro-virentibus sparse et nitido-pilosis, pilis adpressis, subtus nitidis, glaucescenti-sericeis; caulina 1—2, minima vix petiolata, angustissima, subintegerrima, ad ortum pedunculorum. Stipulae magnae, conformes, ovato-lanceolatae. Pedunculi caule longiores, tenerrimi. Calyx villosus, 10-fidus, sepalis exterioribus dimidio vel triplo brevioribus, omnibus lineari-lanceolatis. Petala calycem parum excedentia, obcordata, alba. Gynophorum villosum: akenia laevia. T.

Hab. in pascuis siccis circa Parisios alibique in Gallia et in Pyrenaeis. Descripsi ad specimina sicca in herbario Portenschlagiano, quae defunctus amicus ab ipso Thouilliero sub nomine P. nitidae obtinuit. Nisi radicem dicerem quam Pr. Lehmann caulem nominavit, plurimas alias quoque pro fruticulis declarare deberem. ♃.

POTENTILLA *tridentàta. Ait.*

P. radice caulescente *), foliis ternatis, foliolis obovatis, apice truncato-tridentatis, supra glabriusculis, subtus strigosis, glaucescentibus. T.

Potentilla tridentata. Ait. h. k ed. 1. II. 216. t. 9. Pursh. Fl. Amer. sept. I 353. Sowerb. Engl. Bot. XXXIV. t. 2389. Nestl. Pot. p 66, no. 56. Lehm. Potent. p. 190. no. 87. (c. plur. Synon.)

Potentilla retusa. Fl. dan. V. t. 799.

Radix superne caulescens et frutescens, in ramulos lignosos laeves divisa cortice rufescente. Ex apicibus horum ramulorum cespitose exsurgunt folia subradicalia et caules annui secundarii digitales, hirti. Folia ternata, basilaria aperte, superiora brevissime petiolata vel sessilia, subcoriacea, elliptica vel obovata, apice truncata, grosse tridentata, dente terminali modo breviori, modo longiori, lateralibus semper obtusiusculis, supra sparse pilosa, et tandem glabra, impure, vel rufo-viridia, nitidula, reticulato-venosa, subtus strigoso-glaucescentia. Stipulae lanceolatae. Flores 2—3 in summo caule foliolis floralibus suffulti, brevi-pedicellati. Calycis foliola exteriora paullo breviora, minus hirsuta, elliptica, obtusa, interiora semi-lanceolata, hirsutissima. Corolla modo alba, vel rosea, modo lutea, petalis obovatis, integerrimis, calyce saepius duplo longioribus. Gynophorum villosissimum, helvolum; akenia glabra, villo immersa. T.

Hab. in Groenlandia, Brittania, America septentrionali, et in montibus altaicis Sibiriae. ♉. Glabrities in pagina superiore foliorum stadio mutabilis. Vidi solummodo specimina groenlandica floribus luteis; quem colorem etiam affirmat schedula de manu Prof. Gisekei.

---

*) Radicem caulescentem dico cormum supra terra in muscis circumvagantem, sursum ramosum, non immediate floriferum, sed in aëre libero caules secundarios cum foliis improprie radicalibus sustinentem, veluti in Pyrola, Saxifraga, et sim. T.

POTENTILLA *aùrea. L.*

P. caule adscendente, foliis radicalibus quinatis; foliolis oblongo-cuneiformibus, intermediis petiolatis, superne dentato-serratis subsericeis margine sericeo-ciliatis, petalis obcordatis calyce fere duplo longioribus. Lehmann.

Potentilla aurea. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 712. Sturm. Deutschl. Fl. I. Abth. 5. Bd. Lehmann. Potent. p. 116. no. 48. (c. pl. Synon.

Caules ex eadem radice plures, basi declinati vel adscendentes, pro soli et loci natura digitales, spithamaei et paullo longiores. Folia radicalia longe petiolata, quinata; caulina superiora ternata, subsessilia. Foliola duo lateralia sessilia, reliquis paullo minora, intermedia brevi-petiolata, omnia oblongo-cuneiformia, superne inaequaliter dentato-serrata, dentibus conniventibus, terminali proximis duplo breviore; utrinque laete viridia, tenuissime subtilissimeque sericea, subtus ad costam margineque dense sericea: pilis mollissimis splendentibus flavis, ultra marginem longe porrectis, in apice dentis cujusvis penicillum fere constituentibus. Stipulae magnae, ovatae, acutae, integerrimae, margine pilis splendentibus dense ciliatae. Flores inferiores longe, superiores brevi-pedicellati: pedicellis calycibusque pilis splendentibus sericeis. Calycis foliola subaequalia, lanceolata. Corolla magna, aurea: petalis obcordatis calyce fere duplo longioribus, basi macula fulva notatis. Lehmann.

Hab. in locis herbidis et sterilibus alpium Silesiae, Hungariae, Austriae, Tyrolis, Helvetiae, Galliae et in Pyrenaeis usque ad nivem perpetuum. ♃. Vidi varietates: a.) floribus plenis; b.) acaulem radicifloram; c.) sesquipedalem; d.) grandidentatam; e.) petalis calyce minoribus; f.) longifoliam. Quaestionem Diar. bot. Flora intitulati Ann. I. p. 347. considerando, respondeo: Linnaeus rectam agnovit quidem P. auream (quod praecipue patet ex allegato Halleri Synonimo) sed P. salisburgensem consideravit ut meram ejusdem varietatem. T.

POTENTILLA *Brauneàna. Hoppe.*

P. caulibus humifusis subunifloris, foliis ternatis, foliolis cuneiformibus, antice acute serratis, supra glabris, subtus margineque pilosis, petalis obcordatis calyce longioribus. Lehmann.

Potentilla Brauniana. Hoppe in Bot. Taschenb. 1800. p. 157. et 1802. p. 105. Idem in Sturms Deutschl. Fl. I. Abth. 5. Bd. c. ic. Schrad. Journ. f. d. Bot. I. Bd. (1800.) 2. Stück. p. 382. Poir. Enc. Suppl. IV. 543. Nestl. Pot. p. 70. no. 61. tab. 10. f. 4. Lehm. Pot. p. 179. no. 79.

Potentilla frigida. β. Brauniana. Pers. Syn. pl. II. 56. De Cand. Fl. fr. IV. no. 3748.

Potentilla minima. Schleicher Catal. 1807. p. 20. Clairville Man. d'herb. en Suisse. p. 166.

Radix crassa, ramosa, extus nigra, superne reliquiis foliorum praeteritorum annorum instructa. Caules plures, humifusi, pollicares ad bipollicares et vix longiores, graciles, pilosi, flore solitario, rarissime duobus, terminati, uno vel duobus foliis brevi-petiolatis, stipulis insidentibus instructi. Folia radicalia plus minusve petiolata: petiolis haud raro longitudine caulium. Foliola ternata, sessilia, cuneiformia, superne (antice) acute serrata, supra glabra, pallide viridia, subtus ad costam et venas margineque pilosa. Stipulae ovato-oblongae, acuminatae, pilosae. Calycis foliola exteriora ovalia, rotundato-obtusa, basi angustata, interiora semi-lanceolata, acutiuscula. Corolla lutea pro pygmaea planta magna: petalis obcordatis calyce fere duplo longioribus. Receptaculum sparse pilosum, acheniis rugulosis. Lehmann.

Hab. ad nives perennes in summis Europae alpium jugis. D. Braune illam primus detexit in Klingleralpe montis Untersberg duc. salisburgensis. ♃. Foliola lateralia latere interiore integerrima, exteriore dentata. Corolla calyce major, rarius subaequalis. Differt a P. helvetica, praeter pilositatem multo minorem, foliolis minus incisis, argute dentatis, et caulibus unifloris; a P. aurea vero foliis constanter ternatis, et caulibus humifusis. Vidi varietatem pilis aureo-micantibus, et corolla calyce triplo majore, speciosa; hanc dico P. Braun. β. auricomam. T.

POTENTILLA *petràea. Willd.*

P. caule adscendente, foliis quinatis, foliolis cuneiformi-rhomboideis, superne inciso-serratis, utrinque sericeis, incanis, corollis parvis, petalis obcordato-subrotundis calycem superantibus. Lehmann.

Potentilla petraea. Consp. Potent. herb. Willd. in Magaz. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. VII. ann. 292. Lehm. Pot. p. 119. no. 50. t. 11.

Radix lignosa, tortuosa, superne squamis tecta. Caules plures, adscendentes, teretes, spithamaei, canescenti-tomentosi. Folia radicalia quinata longissime petiolata: petiolis teretibus, incrassatis, densissime tomentosis, incanis; caulina inferiora petiolata, ternata, summa sessilia simplicia. Foliola sessilia, cuneiformi-rhomboidea, antice inciso-serrata, utrinque sericea et incana: pilis incumbentibus confertissimis. Stipulae foliorum inferiorum lanceolatae, acutae, superiorum oblongae, obtusiusculae utrinque sericeae. Flores in summis caulibus nonnulli, plus minusve pedicellati, bracteis suffulti. Calyces dense-tomentosi; foliolis subaequalibus, ovatis, obtusiusculis. Corolla parva, ut videtur, hepatica: petalis obcordato-subrotundis calyce longioribus. Receptaculum convexum, lanuginosum. Lehmann.

Hab. in Djilan, locis rupestribus saxosis. ♃. Proxima videtur P. aureae.

POTENTILLA *helvètica. Hall. fil.*

P. caulibus decumbentibus paucifloris, foliis ternatis, foliolis undique hirsutis, ovalibus, serratis, serraturis rotundato-obtusis, petalis calycem vix aequantibus. Lehmann.

Potentilla helvetica. Hall. fil. in Herbario Portenschlagiano. Schleich. Catal. p. 40.

Potentilla frigida. Nestler. Pot. p. 70. no. 60. tab. 10. f. 3. (?) Lehm. Pot. p. 177. no. 78.

Potentilla norwegica. Suter Helv. Fl. I. 310. (excl. Syn.) Schult. Observ. bot. p. 96. Allion. Fl. pedem. II. no. 1488. (excl. Syn. Linn.)

Radix crassa, superne reliquiis foliorum emortuorum vaginantibus dense involuta. Caules plures, intermedius erectus, digitalis, laterales decumbentes, breviores, pilis longis, patentibus, mollibus hirsuti. Folia radicalia ternata, petiolata: petioli pilis patentibus subhirsuti, caulina monophylla (vidi etiam ternata, et tum petiolata; T.) stipulis insidentia. Foliola sessilia ovalia (etiam ovata et obovata), margine obtuse serrata: pilis longis patentibus mollibus utrinque hirsuta. Stipulae lanceolatae, acutae, integerrimae. Flores in singulis caulibus plerumque 2, rarius 1 vel 3, terminales, erecti, pedicellati: bracteis lanceolatis suffulti. Calyces hirsuti: foliolis ovalibus acutiusculis (potius obtusulis uti dentes foliolorum) corolla plus minusve longioribus (ego potius video in omnibus speciminibus petala calyce fere duplo longiora. T.). Corolla lutea: petalis obcordato-subrotundis, levissime emarginatis, interdum calycem aequantibus. Receptaculum tenuissime pilosum: acheniis laevibus. Lehmann.

Hab. in alpibus helveticis. ♃. An planta Nestleriana huc respiciat, dubito: etenim in hac foliola vere elliptica, crenata (nec inciso-serrata), et corolla calyce minor P. frigida. Vill. autem penitus esse nequit, ob characteres omnino contrarios. T.

POTENTILLA *frigida. Vill.*

P. foliis ternatis, serratis, hirsutis, petalis ovatis vix calyce longioribus. Villars.

Potentilla frigida. Villars. Pl. d. Dauph. III. 563. Pers. Syn. II. 56.

Potentilla subacaulis. Willd. Sp. pl. II. 1111. (exclus. Synon. et descriptione.)

Planta parva; caules procumbentes, 2—3 pollices longi. Folia illis P. vernae subsimilia, sed omnia ternata, villosa, dentibus acutis et profunde incisis. Corolla pentapetala, flava, petalis planis, apice rotundatis. Laciniae calycis, respectu plantae magnae, aequales, obtusae et petalis longitudine subaequales. Tota planta autummo purpurascit, et sero floret. Villarsius illam 17 Sept. florentem ad nivis limites, rarissimam invenit.

Hab. in summo jugo Chaillol-le-vieux en Champsaur. ♃. Differe videtur a P. helvetica foliolis acute serratis et petalis apice rotundatis vix calyce longioribus. V. s. sp. T.

POTENTILLA *biflòra. Willd.*

P. caule erecto, apice subbifloro, foliis ternatis tenuissime pilosis: foliolis lateralibus profunde bipartitis, terminali tripartito, segmentis linearibus integerrimis margine ciliatis. Lehmann.

Potentilla biflora. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. naturf. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 297. Lehmann. Pot. p. 192. no. 88. tab. 20.

Radix fusiformis crassa, extus fusca. Caules simplices, erecti, digitales, subnudi, apice subbiflori, rarius uniflori, in caespitem congesti, basi reliquiis foliolorum praeteritorum annorum cooperti. Folia radicalia longe petiolata, ternata, tenuissime pilosa, margine ciliata. Foliola sessilia, lateralia profunde bipartita, terminale tripartitum: segmentis linearibus, integerrimis. Folia in summo caule plerumque duo, (floralia scilicet!) monophylla, linearia, stipulis insidentia. Stipulae petiolares lineari-lanceolatae, acuminatae, glabrae, lineatae, membranaceae. Flores in singulis caulibus plerumque duo, terminales, pedicellati, ebracteati: pedicellis semi-uncialibus dense villosis, incanis. Calyces basi villosi; laciniis aequali fere longitudine, margine villosis, exterioribus linearibus, obtusiusculis; interioribus duplo latioribus, ovatis, acuminatis. Corollam non vidimus. Receptaculum hemisphaericum dense villosum. Lehmann.

Hab. in Sibiria orientali. ♃.

SERIES XIV.

MERTENSIANA.

Radices caulescenti-frutescentes: caules secundarii parvi, polyflori; folia digitata, ternata-novennata: foliolis subintegris, apice conniventi-dentatis, sericeo-villosis; flores albi vel rubri, raro lutei.

Species: P. alchemilloides. Lapeyr. P. comaroides. H. B. P. valderia. L. P caulescens. L. P. alba. L. P. hybrida. Wallr. P. lupinoides. Willd. P. stipularis. L. P. Clusiana. Jacq. P. Bocconii. Nestl. P. nitida. L.

POTENTILLA *alchemilloides. Lapeyr.*

P. caule adscendente rigido, multifloro, foliis quinatis, foliolis obovato-oblongis, apice integris vel conniventi 2—3-dentatis, supra glabris, subtus et margine sericeo-argenteis, petalis obovatis emarginatis, calyce paullo longioribus. T.

Potentilla alchemilloides. Picot-Lapeyr. in Act. tolos. I. p. 212. t. 17. Ej. fl. pyr. tab. 111. Ej. hist. abr. d. pl. d. Pyren. p. 291. Pers. Syn. pl. II. 55. Nestl. Pot. p. 62. no. 49. Lehm. Pot. p. 135. no. 57.

Potentilla pyrenaica. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 292.

Caules plures simplices, suberecti, teretes, plus minusve tomentosi, incani, basi reliquiis scariosis stipularum tecti, pedales et longiores. Folia radicalia longe, caulina (quorum duo tantum adesse solent) brevi-petiolata, quinata, raro septenata. Foliola oblongo-lanceolata (potius obovato-oblonga, basi angustata, exteriora multo minora (quod tamen nunquam vidi praeter folia septenata, in quibus par extimum notabiliter diminutum conspicitur. T.), supra glabra pallide (potius rufescenti-) viridia, subtus sericeo-argentea, rarius integerrima, plerumque apice tri-vel multi-dentata (vidi potius integra, bi-vel tridentata T.): dentibus conniventibus, intermedio breviore. Stipulae fol. rad. subulatae, caulinorum ovato-lanceolatae. Corymbi (cymae) terminales, multiflori, incani, lanuginosi: floribus congestis, bracteis trilobatis. Calyces tomentosi: foliolis exterioribus lanceolatis; interioribus latioribus magis ovatis, omnibus acuminatis longitudine aequalibus (quod contrarium observavi T.). Corolla alba, calyce paullo longior: petalis ovato-oblongis (potius obovato-obcordatis) rotundato-obtusis, emarginatis. Filamenta glabra, antheris oblongis. Receptaculum convexum, villosum. (Akeniae helvolae, laeves.) Lehmann.

Hab. in editissimis Pyrenaeis, locis rupestribus saxosis. Fl. Jul. Aug. ♃.

POTENTILLA *comaròides. H. B.*

P. caule adscendente, foliis radicalibus quinatis, caulinis ternatis, foliolis ellipticis, subquinquedentatis, supra subglabris, subtus sericeo-canis, petalis obcordatis calyce multo longioribus (atropurpureis). Lehmann.

Potentilla comaroides. Humb. et Bonpl. ined. Nestl. Pot. p. 62. no. 50. tab. 4. fig. 3. Lehmann. Pot. p. 137. no. 59. Poir. Enc. bot. Suppl. IV. 542.

Potentilla rubra. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. VII. 292.

Caules ex eadem radice 2—3, simplices, adscendentes, compressi, adpresso-pilosi. Folia radicalia quinata, petiolata: stipulis lanceolatis, membranaceis; caulina 2—3, ternata, distantia, stipulis ovatis insidentia. Foliola subsessilia, elliptica, supra obscure viridia, subglabra, subtus sericea et incana: pilis confertissimis ultra marginem porrectis, in foliis radicalibus apice subquinquedentata: dentibus inaequalibus; in superioribus foliis 2—3 dentata vel integerrima. Stipulae petiolares, integerrimae, subtus sericeae et canescentes. Flores plus minusve pedicellati, erecti, in paniculam terminalem cymosam dispositi, bracteis lanceolatis, acutis, plerumque oppositis suffulti, pedicellis canescentibus, incumbenti-pilosis. Calyces dense pilosi, sericei; foliola exteriora reliquis multo breviora, lanceolata, obtiuscula, latere interiore viridia; interiora semiovata, acuminata, interiore latere atro-purpurea: Corolla atro-purpurea: petalis obcordatis calyce multo longioribus. Receptaculum hemisphaericum, lanuginosum: acheniis rugulosis. Lehmann.

Hab. in devexis montis ignivomi Jorullo altitudine 520 hexapod. regione calidissima Nov. Hispan. Fl. Septembri. ♃. Icon citata exhibet altitudinem caulis dodrantalem; stipulas radicales lineares, caulinas ovatas apice subincisas, cymam pauciflorum, et petala calyce duplo majora, magnitudine P. reptantis vel rectae. Affinitas cum P. valderia. T.

POTENTILLA *valdèria*. L.

P. caule suberecto, foliis septenatis quinatisve, foliolis obovatis, serratis, subsericeo-tomentosis, subtus incanis, petalis obovato-oblongis, vix emarginatis, calyce brevioribus. Lehmann.

Potentilla valderia. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 714. Allion. fl. piedem. II. no. 1484. tab. 24. f. 1. De Cand. Fl. franç. VI. 465. no 3753. Nestler. Potent. p. 61. Lehmann. Potent. p. 124. no. 52.

Caules ex eadem radice plures, fere pedales, suberecti, firmi, uti tota planta sericeo-tomentosi, incani, superne lanuginosi, apice in duos plerumque ramos floriferos divisi. Folia radicalia longe petiolata: petiolis canaliculatis, pilis patentibus mollissimis instructis, septenata vel quinata; caulina quinata brevius petiolata, summum ternatum subsessile. Foliola obovata, obsolete lineata, toto fere ambitu serrata, firma, subcoriacea, subtus incano-tomentosa, juniora argentea, supra pallide viridia, subglabra, vel ut in pagina inferiore sericea tomentosa et incana. Stipulae petiolares, lanceolatae, acuminatae, integerrimae, rarius denticulatae, in summo caule oblongae. Flores subsessiles, erecti, subcorymbosi, dense congesti, bracteis laciniatis suffulti. Calyces tomentoso-lanuginosi, incani: foliola subconniventia, exteriora linearia longitudine interiorum, interiora semiovata; omnia acuminata. Corolla pallide sulphurea: petalis obovato-oblongis, leviter emarginatis, calyce paullo brevioribus. Receptaculum lanatum. Lehmann.

Hab. in locis saxosis alpium Pedemontii, Vinadii et Valderii, et supra Tendam. ♃. A P. lupinoide primo intuitu, praeter habitum majorem, foliolis oblongis, toto fere ambitu, nec apice tantum serratis distinguitur.

POTENTILLA *alba. L.*

P. caule procumbente debili paucifloro, foliis inferioribus quinatis, superioribus ternatis, foliolis oblongis apice conniventi-serratis, supra glabris, subtus sericeo-canescentibus, petalis obcordatis calycem superantibus. Lehmann.

Potentilla alba. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 713. Jacq. fl. austr. II. p. 10. tab. 115. Sowerb. Engl. Bot. XX. t. 1384. Sturm Deutschl. Fl. I. Abth. II. Bd. Nestler. Potent. p. 58. no. 44. Lehm. Potent. p. 132. no. 56. (c. plur. Synon.)

Potentilla nitida. Scop. fl. carn. ed. 2. I. 362.

Potentilla cordata. Braune fl. salisb. II. 80. Schrank. prim. fl. salisb. no. 467.

Caules plures, e basi lignosa, reliquiis foliorum tecta, teretes, herbacei, procumbentes vel adscendentes, tenues, debiles incumbenti-pilosi, pallide virentes, superne in pedicellos nonnullos divisi, tres vel quatuor uncias longi. Folia inferiora quinata: petiolis (nonnullis) caule longioribus; superiora ternata, brevi-petiolata. Foliola oblonga, obtusiuscula, supra glabra, laete viridia; subtus sericea canescentia, ad apicem (plerumque etiam ad margines obsolete-) serrata: serraturis 3—5, rarius pluribus conniventibus, praesertim in inferioribus, quae reliquis majora sunt. Stipulae lanceolatae, integerrimae, decurrentes, vaginantes. Pedicelli filiformes pilosi, (extimi) longitudine caulis, nunc ebracteati, nunc bracteis duabus lanceolatis incisis, oppositis instructi. Calyces pilosi, subhirsuti, foliolis exterioribus brevioribus linearibus, interioribus semi-lanceolatis, reliquis duplo triplove latioribus. Corolla nivea magna: petalis obcordatis. Filamenta stylique glabri albi. Receptaculum hirsutum. Lehmann.

Hab. in Europa media et australi et in Caucaso iberico, locis herbidis, sylvaticis, montanis, nec tamen ad alpes adscendit. Fl. vere et autumno. ♃. Vidi varietatem petalis retusis, foliolisque antice toto ambitu serratis biuncialibus aliamque caule plus quam pedali, foliolis 3—4 uncialibus. T.

POTENTILLA *hybrida. Wallroth.*

P. caulibus procumbentibus, foliis radicalibus 3—4-natis, foliolis obovato-oblongis, apice et sub apice conniventi-serratis, supra glabriusculis, subtus glaucescentibus, sericeis, laciniis calycinis ovatis: acuminatis, petala obcordata aequantibus. Wallroth.

Potentilla hybrida. Wallr. Sched. crit. I. 247.

Forma admiranda, inter P. albam et P. fragariastrum (Fragariam sterilem) intermedia, matre P. alba, patre Fr. sterili, et modo huic modo illi similior. Eximium profecto stirpes hae offerunt plantarum hybridarum exemplum, quo aliarum similium efformatio nova illustratur. Plantae singulae ob incertitudinem approximationum ad matrem vel patrem fixis characteribus describi nequeunt. Stirps hybrida radicem lignosam (caulescentem?) pro planta validam, protensam, habitum foliorumque figuram, serraturarum indolem, lacinias calycis et corollam a P. alba: pilos, quibus facies foliorum prona magis minusve pubescit, pubem petiolorum patentissimam, receptaculi acheniorumque indolem, tempus florendi a Fragaria sterili mutuavit. Inter illa vero specimina praeter foliolorum numerum ternarium ad unguem P. albam referentium, alia passim occurrunt Frag. sterilem potius repraesentantia, quae pubem aliquam in foliolorum subobovatorum pagina superiore induunt. Tanta autem partium irregularitas, et inter utramque speciem ambiguitas minime a varietatibus sed potius ab hybridis proferuntur, nullamque parentum formam adeo attingunt, ut cum patre vel matre specie coadunari possent. Ex Wallrothio l. c.

Hab. extra agri halensis fines ad dextram molae mediae steigerthalianae, in consortio Fragariae sterilis et Pot albae, ♃. Mihi, non autoptae, ex omnibus h. l. relatis videtur esse species nova maxime P. albae affinis, sed ab influxu societatis nondum sufficienter explicato, quem tamen jam saepissime observavi, plus minus alienata. T.

POTENTILLA *lupinòides. Willd.*

P. caule erecto, foliis septenatis quinatisve, foliolis

POTENTILLA *lupinòides. Willd.*

P. caule erecto, foliis septenatis quinatisve, foliolis obovatis rotundato-obtusis, apice conniventi-serratis, sericeo-villosissimis, stipulis maximis, petalis obcordatis calyce brevioribus. Lehmann.

Potentilla lupinoides. Willd. Sp. pl. II. 1107. Pers. Syn. pl. II. 55. Nestler. Potent. p. 60. no. 47. Lehmann. Potent. p. 126. no. 53.

Potentilla nivalis. La Peyrouse in Act. tolos. I. p. 210. t. 16. Ej. Fl. pyren. tab. 109. Ej. hist. d. pl. d. Pyren. p. 290.

Potentilla valderia. Vill. fl. Delph. III. 572. (exclus. Syn.)

Caules ex una radice plures, erecti, simplices, pilis densis mollissimis villosi, uti tota planta canescentes, 3—6-pollicares, rarius longiores (vidi semipollicarem. T.). Folia petiolata, radicalia quinata vel senata vel septenata, caulina (quorum in singulis caulibus unum, rarius duo) ternata vel quinata foliolis obovatis rotundato-obtusis, apice dentibus inaequalibus conniventi-serratis, utrinque sericeo-villosissimis. Stipulae petiolares, integerrimae, foliorum radicalium magnae, ovato-lanceolatae, acuminatae, caulinorum maximae, magis oblongae. Flores, 3—6, terminales, ante anthesin subnutantes, dein erecti, in corymbum congesti, bracteis magnis, trilobatis, rarius laciniatis suffulti. Calyx villosus, interdum 12-fidus: foliolis exterioribus lanceolato-linearibus longioribus, interioribus ovato-lanceolatis acuminatis. (Calyx 10—12-partitus, ne dicam 10—12 phyllus! T.) Corolla alba, calyce paullo brevior: petalis obcordatis. Receptaculum lanatum. Lehmann.

Hab. in editissimis alpibus Delphinatus, inque Pyrenaeis, locis saxosis. ♃. Fl. Julio. Variare dicitur foliolis calycinis (more Rosarum) pinnatifidis. Ego tantum folium florale seu bracteam vidi pinnatifidam. T.

POTENTILLA *lupinoides integrifolia.*

Distinguitur foliis radicalibus quinatis, caulinis monophyllis, foliolis lanceolatis acutis integerrimis stipulas aequantibus, subtus villosis, caulibus erectis, floribus corymbosis, calycibus petala superantibus.

Flores albi, fusco-venosi. Haec est P. integrifolia Pic. la Peyr. fl. pyr. p. 291. seu P. lupinoides β. Nestl. et Lehmann. et non dubito de jure ejusdem specifico, etsi P. lupinoidi intime affinem fatear. Interea medium eligo, et ut subspeciem P. lupinoidis exhibeo, cum auctoritas antecessorum me timidum reddat. Valde rara habitat prope Madres in Vallée d'Eynes. ♃.

POTENTILLA *stipulàris.* **L.**

P. caule erecto debili, superne dichotomo, foliis radicalibus novenatis, foliolis elliptico-obovatis, apice tridentatis, utrinque glabris; caulinis stipulis insidentibus quinatis ternatisque; stipulis maximis dilatatis; corollis calyce duplo majoribus. T.

Potentilla stipularis. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 712. Gmel. fl. sibir. III. p. 185. no. 38. et 39. tab. 37. f. 2. Pers. Syn. pl. II. 54. Ait. h. k. ed. 2. III. 276. Nestl. Pot. p. 49. no. 33. Lehmann. Pot. p. 139. no. 59.

Caules plures subsimplices, erecti, teretes, debiles, semipedales et longiores, glaberrimi, inferne leviter rubentes. Folia radicalia longe petiolata, plerumque septenata (novenata!) petiolis tenuissimis, glaberrimis, rubescentibus; caulina stipulis permagnis dilatatis insidentia, inferiora quinata septenatave, superiora ternata. Foliola sessilia, subaequalia, lineari-oblonga (lineari-oblonga sunt solummodo in foliis caulinis, in radicalibus vero potius elliptica vel obovata sunt! T.) utrinque glabra, pallide virentia, margine subciliata, apice tridentata, rarius integerrima. Stipulae petiolares caulem amplectentes, permagnae, ovatae, basi dilatatae, longe acuminatae (nonnunquam inciso-bi-trifidae) glabrae, margine ciliis perpaucis munitae. Flores parvi in summis caulibus plus minusve pedicellati, subcorymbosi, bracteis incisis suffulti: pedicellis pedunculisque filiformibus, laxis, subglabris. Calyces subglabri: foliola aequali longitudine (minime, video potius exteriores dimidio breviores! T.) margine pilosa, exteriora linearia, interiora (quadruplo latiora) semiovato-lanceolata. Corolla flava: petalis obovatis (potius obcordatis, aperte) levissime-emarginatis, calyce (duplo) longioribus. Receptaculum convexum, glaberrimum (video potius dense pubescens. T.) Lehmann.

Hab. in Sibiria. ♃. A Lepeyrousio P. lupinoidis varietas pro hac habita fuisse videtur. (v. Lehmann. l. c. p. 140.)

POTENTILLA *Clusiàna. Jacq.*

P. caule adscendente paucifloro, foliis radicalibus quinatis superioribus ternatis, foliolis ovali-cuneiformibus apice conniventi-tridentatis, pubescentibus, petalis subrotundis (tamen longe unguiculatis!) calycem superantibus. Lehmann.

Potentilla Clusiana. Jacq. Fl. austr. II. p. 79. tab. 116. Sims. Bot. Mag. XLII. tab. 1327. Host. Syn. p. 285. Hoffm. Deutshl. Fl. 1791. p. 180. Pers. Syn. II. 55. Willd. Sp. pl. II. 1107. Ait. h. k. ed. 2. III. 278. Nestl. Pot. p. 60. no. 46. Lehm. Pot. p. 128. no. 54.

Potentilla caulescens. Scop. fl. carn. ed. 2. I. 361.

Radix multiceps, lignosa, ramosa, extus nigra. Caules plures, simplices, teretes, adscendentes, digitales, superne pubescentes, (nonnunquam) purpurascentes. Folia utrinque pallide (laete-) viridia, pubescentia (potius sericea!), ad marginem magis pilosa: pilis incumbentibus; radicalia quinata petiolata, caulina ternata subsessilia. Foliola foliorum radicalium ovali-cuneiformia (potius obovata, basi acuminata!) apice subtruncata, conniventi-tridentata, rarius 4—5-dentata; caulinorum ovali-lanceolata, integerrima, acutiuscula. Stipulae ovato-lanceolatae, integerrimae, in summo caule basi purpurascentes. Corymbi terminales pauciflori, pedicellis (patentibus) interdum bracteis lanceolatis instructis. Calyx pilosus, purpureus: foliolis exterioribus subulatis longitudine interiorum, interioribus (semi-) ovato-lanceolatis. Corolla candida, magna, petalis subrotundis obtusis, basi angustatis, subintegerrimis. (Ego semper vidi emarginata et plerumque cuneiformia, raro subrotunda et tum longe unguiculata. T.) Filamenta plerumque rubra, antheris flavescentibus. Receptaculum (niveo-) villosum. Lehmann.

Hab. inter saxa in summis jugis alpium austriacarum, stiriacarum, carniolicarum, tirolensium et salisburgensium. ♃. A P. caulescente differt praeprimis caulibus paucifloris et foliolis apice non multidentatis.

POTENTILLA *Clusiana triphylla.*

Distinguitur foliis, etiam radicalibus, plerisque ternatis, subglabris, caule debili, flexuoso, bifloro; petalis subrotundis integerrimis. T.

Vidi siccam in herbario Dni. Neumayer, sed ex duobus speciminibus unum, pubescens, habebat dentes foliolorum minimos apice conniventes, alterum (glabrum) rectos et multo majores, aequales, et perinde foliola apice truncata, cuneato-obovata. Patria Striria, locum explorare non potui. T.

POTENTILLA *Bocconii. Nestl.*

P. caule adscendente paucifloro, foliis ternatis, foliolis ellipticis, utrinque sericeo-canis, apice retusis, conniventi-tridentatis dentibus minutis. Lehmann.

Potentilla Bocconi. Nestl. Potent. 73. no. 63. t. 10. f. 2. Poir. Enc. b. suppl. V. 543. Lehm. Pot. p. 189. no. 86.

Tota planta canescens: pilis incumbentibus sericea et subargentea. Radix lignosa, extus fusca, subsimplex. Caulis adscendens, teres, digitalis et paullo longior, aphyllus. Folia omnia radicalia, plus minusve petiolata. ternata. Foliola sessilia, subaequalia, elliptica, margine integerrima, ad apicem plerumque tridentata: dentibus conniventibus parvis, terminali reliquis paullo minore. Stipulae lanceolatae, acuminatae. Flores plerumque duo, brevi-pedicellati: bracteis lanceolatis, integerrimis suffulti. Calycis foliola exteriora lanceolata, acuta, interiora breviora, semiovato-subrotunda. Corollam non vidi; etiam Nestlerus eam non vidisse in monographia Potentillarum l. c. dicit, attamen in icone petala repraesentat integerrima, foliolis calycinis exterioribus breviora. Receptaculum villosum acheniis rugulosis, nigris, nitidis. Lehmann.

Hab. in monte Norica prope lacum Pilati, in monte Vedore prope Sassatelli, et ad speluncam Sibyllae, regni neapolitani. ♃.

POTENTILLA *nitida.* **L.**

P. caule adscendente subunifloro, foliis ternatis, foliolis obovato-cuneiformibus, apice conniventi-tridentatis, utrinque sericeo-villosis, argenteis, petalis obovatis, emarginatis, calyce longioribus. Lehmann.

Potentilla nitida Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 714. Jacq. Fl. austr. V. app. t. 25. Tratt. Fl. d. östorr. K. I. no. 36. Nestl. Pot. p. 63. no. 51. Lehm. Potent. p. 187. no. 85. (c. plur. Synon.)

Potentilla terglovensis. Hacquet. Pl. alp. carn. p. 15. tab. 4, f. 2.

Potentilla apennina. Tenore Prodr. fl. neap. p. 30. Ej. Fl. neap. I. p. 191. t. 46.

Caules adscendentes vel suberecti, cespitosi, pollicares, sesquipollicares et paullo longiores, uti tota planta pilis densissimis incumbentibus sericei et subvillosi, canescentes, et argentei seu glaucescentes. Folia radicalia et caulina inferiora petiolata, superiora subsessilia, omnia ternata. Foliola sessilia foliorum inferiorum obovato-cuneiformia, apice conniventi-tridentata; rarius dentibus pluribus instructa; superiorum magis lanceolata, integerrima. Stipulae petiolares integerrimae, acuminatae, foliorum radicalium ovato-lanceolatae, caulinorum lanceolatae. Flos in singulis caulibus terminalis plerumque solitarius, interdum 2—3, erecti, pro planta magni, bracteis suffulti. Calyx purpurascens: foliola interiora semi-lanceolata; exteriora breviora et angustiora: omnia acuminata. Corolla ampla, persicina: petalis calyce longioribus obovatis emarginatis. Filamenta rubra, glabra: antheris rubicundis. Styli saturate rubri. Receptaculum villosum: villo albo longissimo, sericeo-nitente. Lehmann.

Hab. in alpibus appenninis, carinthiacis, carniolicis, tyrolensibus, sabaudis, in Delphinatu et in monte Baldo. ♃. Affinis P. clusianae, sed semper triphylla. Rarius tantum, et quasi per errorem Naturae vidi inferiora folia quinata. T.

SERIES XV.

SIBTHORPIANA.

Plantae parvae pauciflorae; folia ternata: foliolis majusculis, utrinque cano-tomentosis; flores speciosi, petalis spathulatis integerrimis, calyce minoribus.

Species: P. speciosa. Willd.

POTENTILLA *speciòsa. Willd.*

P. caule suberecto corymboso, foliis ternatis, foliolis ellipticis apice serratis, supra pubescentibus, subtus niveo-tomentosis, petalis spathulatis integerrimis calyce paullo brevioribus. Lehmann.

Potentilla speciosa. Willd. Sp. pl. II. 1110. Pers. Syn. pl. II. 56. Smith. Pr. fl. graec. I. p. 352. no. 1184. Sibth. Fl. graec. t, 484. (ined.) Poir. Enc. bot. V. 601. Nestl. Pot. p. 74. no. 66. tab. 11. Lehm. Potent. p. 168. no. 73.

Potentilla macrorhiza. herb. Juss.

Radix cylindrica lignosa, magna et longissima extus fusca. Caules plures, suberecti, digitales vel spithamaei, simplices basi squamis scariosis cooperti, tomento densissimo niveo, corticeque dehiscente et sua sponte decidente vestiti. Folia radicalia longe petiolata, ternata, caulina brevius petiolata, monophylla: petiolis tomento niveo densissime tectis. Foliola elliptica, superne (antice) ad dimidium ambitus serrata, supra pubescentia, pilis adpressis subsericea, subtus valde tomentosa: tomento niveo. Stipulae foliorum radicalium lanceolatae, acutae, scariosae, caulinorum ovato-oblongae, substantia foliorum eodemque modo tomento niveo subtus tectae. Flores pedicellati, erecti, in corymbo (cyma) caulem terminante bracteato dispositi. Calycis foliola acuta, exteriora lanceolata, interiora breviora ovalia. Corolla alba: petalis spatulatis calyce paullo brevioribus, vel eadem longitudine. Receptaculum villosum. Lehmann.

Hab. in monte Parnasso, inque sphakioticis altioribus Cretae montibus. ♃. Ad specimina sicca a Dno. Sieber lecta iconem Nestleri egregiam video, praeter quod petala, in speciminibus a me observatis, non obtusa sed acuta, ergo potius obovato-lanceolata sunt. T.

SERIES XVI.

VAILLANTIANA.

Radix caulescenti-fruticescens: caules secundarii parvi; folia omnia ternata: foliolis obovatis pilosis; subtus canescenti-tomentosis, flores petalis obcordatis colore varii.

Species: P. villosa. Pall. P. nivea. L. P. macrantha. Ledeb. P. uniflora. Ledeb. P. leucophylla. P.

POTENTILLA *villòsa. Pall.*

P. caule adscendente paucifloro, foliis ternatis, foliolis subrotundo-cuneiformibus serratis, supra sericeo-villosissimis, nitidis, subtus cano-tomentosis, petalis obcordatis, calyce duplo longioribus. Lehmann.

Potentilla villosa. Pallas in herb. Lambert. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. I. 353. Poiret. Enc. Suppl. IV. 541. Lehm. Pot. p. 166. no. 72. tab. 16.

Potentilla lucida. Consp. Potent. herb. Willd. in Magaz. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. VII. ann. 296. in fidem autoptae Pr. Lehmann.

Caules plures, adscendentes, erecti, teretes, digitales, uti tota planta pilis longissimis mollissimis canescentibus seu glaucescentibus nitidis densissime obtecti. Folia radicalia longe petiolata, stipulis insidentia, caulina subsessilia. Foliola sessilia approximata, subrotundo-cuneiformia, serrata, supra sericeo-villosa pilis adpressis, subtus cano-tomentosa. Stipulae magnae, petiolares, oblongo-lanceolatae, acuminatae, integerrimae, foliorum radicalium membranaceae, caulinorum substantia foliorum, eodemque modo supra sericeo-villosae, subtus canescenti-tomentosae. Flores magni in summo caule congesti. Calyces sericeo-villosi: foliolis aequalibus lato-lanceolatis. Corolla magna aurea: petalis obcordatis, calyce fere duplo longioribus. Stamina brevissima. Receptaculum hemisphaericum pilosum. Lehmann.

Hab. in insula Unalaschka et in littore occidentali-boreali Americae septentrionalis. ♃. Cel. Pursh l. c. dicit, hanc plantam P. subacauli quoad descriptionem, minime quoad figuram Gmelini (in Fl. sibirica III. t. 36. f. 2.) similem esse, P. nivea vero robustiorem, et flores duplo majores. T.

POTENTILLA *nivea. L.*

P. caule adscendente paucifloro, foliis ternatis, foliolis obovali-cuneiformibus, margine planis, inciso-serratis, supra subhirsutis, subtus niveo-tomentosis, petalis lato-obcordatis, calyce paullo longioribus. Lehmann.

Potentilla nivea. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 715. Gmel. Fl. sib. III. p. 183. no. 33. t. 36. f. 1. Amman. ruthen. p. 85. no. 111. tab. 14. fig. infer. Lehmann. Potent. p. 184. no. 83. (c. plur. Synon.)

Caules ex eadem radice plures, simplices, digitales-spithamaei, adscendentes, pauciflori, caerulescentes, juniores tomento densissimo niveo tecti. Folia ternata, radicalia longe petiolata, caulina subsessilia, approximata, obovato-cuneiformia, margine plana, inciso-serrata, supra saturate viridia, subhirsuta, subtus tomento densissimo niveo tecta. Stipulae ovatae, integerrimae, foliorum radicalium scariosae, caulinorum substantia foliorum, eodemque modo subtus niveo-tomentosae. Flores in summis caulibus longe pedicellati, bracteis lanceolatis suffulti. Calyces hirsuti: pilis patentibus mollibus; foliola aequali fere longitudine, acuta, exteriora paullo breviora, linearia; interiora semiovato-lanceolata, Corolla aurea: petalis lato-obcordatis, calyce paullo longioribus. Receptaculum pilosum conicum. Lehmann.

Hab. in alpibus lapponicis, norwegicis, sibiricis, helveticis, tyrolensibus, delphinensibus, nec non in Labradoria Americae septentrionalis. ♃. Icon Gunneri in Fl. norwegica, tab. 3. f. 1. potius Fragariam sterilem repraesentat et male citatur a Purshio. Variat foliis supra glabris et caule prostrato polyfloro: vidi tales siccas helveticas, lapponicas et groenlandicas. Planta caucasica et sibirica ad mentem ill. Marsch. Bieberstein specie differt ab europaea; (v. Fl. taur. cauc. III. 358.) sed vix credo, cum eadem species per Europam et Americam divulgata sit; nisi forte P. macrantha Ledeb. hujus loco suscepta fuerit. Sed M. B. dicit flores parvos, P. verna minores! T.

POTENTILLA *macràntha. Ledeb.*

P. caulibus erectis paucifloris, foliis ternatis, foliolis ovatis, superne incisis, supra pilis raris adspersis, subtus albido-villosis, petalis obcordatis, calyce duplo longioribus. Lehmann.

Potentilla macrantha. Ledebour. in Act. noviss. soc. scient. petropol. V. p. 541. no. 30. Lehmann. Potent. p. 182. no. 81.

Caules sesqui-vel bi-palmares, erecti, pilis raris brevibus obsiti, superne in ramos aliquot divisi, pauciflori. Folia radicalia et caulina inferiora ternata, longe petiolata: foliolis ovatis, incisis, basi tamen integerrimis, supra sparse pilosis, subtus pilis albidis dense villosis; superiora foliolis sublinearibus, integerrimis, vel inciso-serratis; summa simplicia. Stipulae lanceolatae. Flores in caule ramisque terminales, solitarii. Petala obcordata calyce duplo majora, flava.

Hab. in Sibiria transbaicalensi circa urbem Jacutiam. ♃. A P. nivea, cui sane affinis, indumento totius plantae tenuiori, foliis subtus albido-villosis quidem, nec autem tomento densissimo, niveo obductis, floribus paucioribus, pedunculis magis elongatis; corollis denique duplo vel triplo majoribus diversa. Ledebour.

POTENTILLA *uniflòra. Ledeb.*

P. caule erecto unifloro, foliis ternatis, foliolis ovatis, cuneatis, antice inciso-serratis, margine revolutis, supra subvillosis, subtus niveo-tomentosis, petalis obcordatis calyce duplo longioribus. Lehmann.

Potentilla uniflora. Ledebour. in Act. noviss. soc. scient. petropol. V, p. 543. no. 31. Lehmann. Pot. p. 183. no. 82. t. 18.

Radix squammis magnis ferrugineis vestita plures emittit caules in caespitem parvum quidem sed densissimum, aggregatos, erectos, vix palmares, villosos, foliis duobus vel tribus instructos, unifloros. Folia radicalia dense caespitosa, petiolis duplo illis longioribus insidentia, ternata: foliolis ovatis, cuneatis, apice inciso-serratis: incisuris saepe 3—5, basi integerrimis, in pagina superiori subvillosis, subtus densissime niveo-tomentosis; caulina duo vel tria; infimum radicalibus simillimum; medium foliolis plerumque integerrimis: summum simplex trifidum: laciniis integerrimis. Flos terminalis, solitarius, erectus, speciosus. Calyx extus villo albo obtectus. Petala obcordata, flava, calyce duplo longiora.

Hab. in Davuria. ♃. Indumenti respectu P. niveae simillima, differt autem: caule humiliori, simplicissimo, erecto, unifloro; foliorum incisuris paucioribus; flore duplo vel triplo majori, magnitudine fere P. macranthae. Ledebour.

Quoad habitum in icone expressum non absimilis P. argenteae; sed exigua, triphylla, uniflora. T.

POTENTILLA *leucophylla. Pall.*

P. caule adscendente multifloro laxo, foliolis angusto-lanceolatis, serratis, margine revolutis, supra subglabris, subtus niveo-tomentosis, petalis obcordatis, calycem vix aequantibus. Lehmann.

Potentilla leucophylla. Pall. Iter. III. 194. Marsch. Bieb. Fl. taur. cauc. III. 359.

Potentilla betonicaefolia. Poir. Enc. bot. V. 601. Pers. Syn. pl. II. 56. Nestl. Potent. p. 74. no. 65.

Potentilla angustifolia. Consp. Pot. herb. Willd. in Mag. d. Ges. naturf. Fr. z. Berl. VII. ann. p. 296. Lehmann. Pot. p. 186. no. 84. tab. 19.

Radix fusiformis, lignosa, superne squamis tecta. Caules plures, simplices, adscendentes vel erecti, teretes, filiformes, laxi, digitales, superne pilosi. Folia radicalia longe petiolata ternata, caulina, 1—2, sessilia, trifida. Foliola sessilia, angusto-lanceolata, serrata, margine revoluta, supra viridia, subglabra, subtus tomento densissimo niveo cooperta. Stipulae lanceolatae, parvae, foliorum modo subtus niveo-tomentosae. Flores in summis caulibus paniculam constituentes, ante anthesin nutantes, bracteis suffulti. Calyces pilosi: pilis incumbentibus, foliola aequali fere longitudine, exteriora linearia, acuminata, interiora semiovato-lanceolata. Corolla flava: petalis obcordatis calycem vix superantibus. Receptaculum hemisphaericum tomentosum. Lehmann.

Hab. in Sibiria orientali. ♃. Proxima P. niveae: sed forma foliorum notabiliter diversa. Caules in icone plus quam digitales. Ex adnotatione ill. L. B. Marschall a Bieberstein l. c. abunde patet, Synonima P. betonicaefoliae et leucophyllae a cel. P. Lehmann ad P. niveam allegata pertinere ad praesentem speciem, et nomen antiquius Pallasii Willdenowiano praeferri debere. T.

LEHMÀNNIA *T. Trichothalamus. Lehm. Potentilla Willd.*

(Syst. sex. Icosandr. polygyn. A. n. Rosaceae. G. p. Potentilla.)

Char. gen. Calyx, non urceolatus, 10-partitus; laciniis lineari-lanceolatis, exterioribus paullo minoribus. Petala 5 obcordata, laciniis cal. brevioribus opposita et aequalia. Stamina multa, petalis breviora. Gynophorum semiglobosum, sericeo-villosum. Pistilla plurima. Akenia oblonga, obliqua, basi scrobiculato-perforata, apice barbata.

Genus hoc ab aevo antiquissimo ad nostra usque tempora sine mutatione conservatum fuisse, et matrem Potentillae constituere videtur. Habitus penitus abnormis, antiquissimae simplicitatis dignus, cormo distinctissimus, qui ex radice caulescente et frutescente sursum ramoso, ramulis polycephalis consistit et monstroso modo compressus, angulatus et lignosus est. Cel. Prof. Lehmann primus hoc genus separavit a Potentilla, et sublato Trichothalamo Sprengelii, Trichothalamum nominavit: sed haec nominis translatio non modo ambiguitatem producere posset, sed etiam propterea respuenda videtur, quod Gynophorum etiam in Potentillis fere omnibus plus minusve pilosum est. Ideo justum et legitimum putavi, si hoc genus nomine ipsius de omni re herbaria et praesertim de genere Potentillae proxime affini meritissimi auctoris Lehmanniam nominarem. T.

LEHMANNIA *lignòsa. T.*

L. radice caulescente frutescente, ramis compresso-angulosis, tortuoso-flexuosis, ramulis polycephalis: caulibus secundariis brevissimis, foliis digitatis, foliolis cuneatis, apice truncatis, crenatis. T.

Potentilla lignosa. Mag. d. Ges. nat. Fr. z. Berl. ann. VII. p. 293.

Trichothalamus lignosus. Lehm. in Nov. act. phys. med. acad. caes. Leop. Carol. X. 585. c. ic.

Radix maxima, caulescens, frutescens, sursum ramosa, ramis ancipiti-compressis, hinc inde subulatis, tortuoso-flexuosis, epidermide tenui-rimoso-discedenti tectis, extremitatibus tandem polycephalis, squamosis, squamis scariosis, fuscescentibus. Ramuli secundarii ex apicibus oriundi brevissimi, basi foliis et stipulis ramentaceis obvallati, quibus, si elongati, adhaerent folia petiolata alterna, basi stipulata. Folia ipsa brevi-petiolata, plurima quinata, sed et permulta ternata, imo binata, quaternata et septenata, sine ordine: foliolis subtriangulari-cuneatis, apice transversim truncatis crenatis, crenaturis plerumque septem, subpetiolatis, utrinque sericeo-villosissimis. Pedunculi longitudine petiolorum, et calycis laciniae acuminatissimae pubescentes. Flos terminalis solitarius, magnitudine P. Brauneanae. Petala venosa, brevi-unguiculata, obcordata, leviter emarginata, lutea. Gynophorum convexum subglobosum, sericeo-villosissimum. Akenia oblonga, latere exteriore ventricosa, interiore subplana, inde obliqua, basi scrobiculato-perforata (fere in morem Anchusae) apice barbata.

Hab. in montibus circa Djilan. ♉. Detecta a Pallasio. Planta ob habitum de maxime prodigiosis et mirabilibus hujus orbis, vix minus quam Nepenthes destillatoria, Vallisneria spiralis, Crassula umbella et sim. pl. T.

SIBBALDIA L. *Potentilla. Clairv. Fragaria. Tourn.*

(Syst. sex. Pentandr. pentag. Affinatas nat. Rosaceae. Gen. prox. Lehmannia.)

Char. gen. Calyx 10-fidus, campanulatus, laciniis alternis minoribus; petala 5, calyci inserta, laciniis exterioribus, s. minoribus opposita. Stamina 5, corolla breviora, calyci inserta. Germina 5, ovata in calycis fundo conglommerata. Styli laterales longitudine staminum: stigmata capitata. Calyx fructus connivens, akenia oblonga in sinu fovens.

Species fere unica: nam S. parviflora vix quid plus quam varietatem constituere videtur; erecta vero, polygyna, altaica et grandiflora verosimiliter novum et proprium genus constituunt. Sed a cel. D. Steudel adhuc nominatur S. octopetala. Mill., de qua, quid sentiam, nescio, cum in adminiculis meis nihil de hac commemoratum inveniam. Sibbaldia porro (procumbens) caucasica (v. M. B. Fl. taur. cauc. I. 257.) foliis utrinque sericeo-canescentibus specifice differe videtur.

In una eademque planta, quamquam raro, pistilla quorumdam florum duplicantur, ceterorum orthodoxis. Species vero, in quibus regulariter plura apparent, aliis simul characteribus, totoque habitu alienatis, vix in hoc genere merito conservantur, et occasiooe opportuna, accuratius examinandae sunt.

Nomen in memoriam Roberti Sibbald, Med. Doct. scotici, et collegii med. edinburgensis socii, qui ao. 1684 Scotiam illustratam, s. Prodromum historiae nat. Scotiae, ao. 1710 dissertationem de Chara Julii Caesaris, et pl. al. opusc. edidit.

SIBBALDIA *procumbens*. L.

S. radice caulescente, frutescente, caulibus secundariis decumbentibus foliis radicalibus subaequalibus; foliis ternatis: foliolis obovatis apice obtuse tridentatis, utrinque hirtis; floribus cymosis: petalis obovatis, calyce brevioribns. T.

Sibbaldia procumbens. Willd. Sp. pl. I. 1567. Pers. Syn. pl. I. 340. Poiret. Enc. bot. VII. 152. Schult. Syst. veg. VI. 768 Engl. Bot. no. 897. Oed. Fl. d. I. t. 32. Sturm Deutschl. Fl. I. Abth. I. Bd.

Radix caulescens, lignescens, et tandem caulem fruticosum constituens, ramulis ultimis plurimis undique squammulis membranaceis scariosis munitis, ex quarum summis folia radicalia stipulis et petiolis suffulta et cauliculi secundarii plures oriuntur. Stipulae petiolorum radicalium lineares petiolo adnatae, membranaceae, nervosae, apicibus divergentibus mucronatis, glabrae, ciliatae; petioli filiformes ½—3 pollicares, albo-pilosi; folia ternata, utrinque viridia et hirta, pilis subadpressis, supra per aetatem tandem evanescentibus, subtus copiosioribus: foliola 3—6 lineas longa, 2—4 lin. lata, basi acuminata, nec tamen cuneata, apice truncata, 3 dentata, dentibus obtusis, intermedio minimo, obovata: lateralibus sessilibus, intermedio brevissime petiolato. Caules ex uno radicis ramulo saepe 2—3; a dimidio ad 3 pollices longi, decumbentes, hirto-villosi, uno alterove folio muniti, modo ramosi. Folia caulina radicalibus similia, sed minora et brevius petiolata; summa s. floralia sessilia, simplicia, obovato-lanceolata, apice integerrima; bracteae lineares, scariosae. Flores modo glommerati, modo cymosi, modo paniculati pro diversitate evolutinis, quam planta assequitur. Flores minimi, 1—20 in quolibet caule; calyx campanulatus 10-fidus, laciniis exterioribus angulis interiorum adhaerentibus, lineari-lanceolatis, 4 plo minoribus; exterioribus semilanceolatis, submucronatis; omnibus hirto-villosis, vel subsericeis; petala 5 lutea unguibus laciniarum exteriorum adnata, hisce magnitudine aequalia et opposita, oblongo-obovata. Stamina 5, petalis breviora. Germina 5, vel plura. Akenia totidem helvola, glaberrima, laevia, ovata, oblique ventricosa, rostrata. T.

Hab. in alpibus Lapponiae, Scotiae, Galliae, Helvetiae, Austriae, Dalmatiae, Sibiriae, nec non in America septentrionali. ♉.

SIBBALDIA *parviflòra. Willd.*

S. procumbens, foliis ternatis: foliolis utrinque strigoso-pilosis tridentatis; floribus glomerato-capitatis, petalis obovatis, calyce duplo brevioribus. Willd.

Sibbaldia parviflora. Willd. in Act. ac. nat. cur. ber. 1799. t. 5. f. 4. Pers. Syn. I. 340. Poir. Enc. Suppl. V. 146. Schult. Syst. veg. VI. 769.

Fragaria orientalis floro luteo minimo. Tournef. Cor. p. 21.

Hab. in Cappadocia. ♃ — ♉. Pro meo arbitrio vix subspecies S. procumbentis et vix tantum ab ea diversa quantum differt S i b b a l d i a p r o c u m b e n s c a u c a s i c a a vulgari (foliis sericeo-incanis!) nam omnes differentias allegatas vidi saepius in una eademque planta unitas cum formis vulgatissimis. Sed forte adsunt etiam alii characteres differentiales, in quos attentius indagare opportet, qui plantam vel vivam, vel saltem exsiccatam ulterius conspicere atque observare poterunt. Statio saltem novitatem speciei verosimilem reddit. Praesertim attendendum est, 1. an foliola constanter subrotunda sint?, 2. an foliolum terminale semper et vere sit sessile?, 3. an flores semper sint sessiles? T.

SIBBALDIA *polygyna. Willd.*

S. caule erecto stricto, glanduloso-piloso, paniculato; foliis multifidis linearibus; floribus polygynis, calycibus 5-dentatis, petalis calycem aequantibus. Willd. Ms.

Sibbaldia polygyna. Schlechtend. in Reliqu. Willd. Ms. Schult. Syst. veg. VI. 770.

Hab. in Sibiria. Detexit Pallas. ♃. Proxima dicitur S. erectae, sed differe, caulibus a basi ramosis, et paniculatis (quales tamen etiam S. erecta habet), floribus capitato-glomeratis, brevius pedunculatis, floribus 18 — 20 — nec 5-gynis. praeter characteres datos. l. c. Si revera calyx 5-dentatus, nec 10-fidus, et flores constanter polygyni, tunc certe non est species Sibbaldiae, sed potius novum genus! Si enim plantam talem non separaremus a Sibbaldia, Sibbaldiam ipsam deberemus conjungere cum Potentilla. T.

SIBBALDIA *erecta.* L.

S. caule recto, ramoso; foliis ternatis: foliolis stipulisque linearibus, partitis; petalis rotundatis unguiculatis, calyci subaequalibus. T.

Sibbaldia erecta. Linn. Willd. Sp. pl. I. 1567. Pers. Syn. pl. I. 341, Poir. Enc. bot. VII. 152. Schult. Syst. veg. VI. 769. Lam. Ill. gen. III. t. 221. f. 2.

Pentaphylloides foliis tenuissime laciniatis, flosculis carneis. Amm. Ruth. p. 85. no. 112. t. 15.

Radix gracilis, brevis, extus fusca, intus alba. Folia radicalia desiderantur. Caules plures (2—4) palmares et sesquipalmares, recti, graciles, cylindrici, pubescentes, valde ramosi, ramis intermediis longissimis patentibus, rubicundis. Folia caulina alterna, more Potentillae Tormentillae subpetiolata, stipulis sessilibus: foliola ternata stipulaeque in 2, 3ve segmenta linearia, stricta, utrinque pubescentia partita. Ramuli omnes, etiam infimi floriferi, superiores dichotomi: floribus axillaribus solitariis, terminalibus subcymosis, omnibus longe pedicellatis: pediceliis filiformibus, pubescentibus. Calyx decemfidus, laciniis exterioribus brevioribus et angustioribus, subhispidus. Corolla parva, pentapetala: petalis laciniis exterioribus oppositis, vix calyci aequalibus, rotundatis, brevi-unguiculatis, albis vel carneis. T.

Hab. in Sibiria: in montosis Arguni, ad ripas Ononis fluvii in glareosis. ♃. (?) Planta quam cell. Messerschmidt in montosis Arbath Jabasch et Abacan reperit, differt solummodo petalis emarginatis.

SIBBALDIA *altàica*. L.

S. foliis simplicibus, tripartitis, laciniis linearibus integerrimis, caulibus erectis; petalis calyce 5-fido duplo majoribus. T.

Sibbaldia altaica. Linn. Willd. Sp. pl. I. 1567. Pers. Syn. pl. I. 341. Schult. Syst. veg. VI. 770. Poir. Enc. bot. VII. 153. Laxmann in Nov. act. petrop. 1773. p. 526. t. 6. f. 2*.

Radix caulescens, fruticescens, caulibus secundariis foliisque radicalibus cespitosis. Caules pollicares vel sesquipollicares, teretes, simplices, plerumque aphylli, nonnumquam tamen folio uno alterove simplici muniti, saepe uniflori vel floribus 2—4 ornati. Folia radicalia lineari-filiformia, apice dilatato-tripartita, laciniis integerrimis. Calyx 5-fidus, laciniis lanceolatis acutis, patentibus. Petala 5, obovata, patentissima, purpurascentia, calyce duplo longiora. Pistilla 5. (Nonne numerus pistillorum anomalus? T.)

Hab. in Sibiriae montibus altaicis. ♃. Videtur cum S. polygyna et grandiflora ad idem novum genus pertinere, quod olim a Sibbaldia separari debebit. T.

SIBBALDIA *grandiflora. Willd.*

S. caulibus adscendentibus cespitosis, pubescentibus, pinnatifido-digitatis trifidisque; floribus lateralibus pedunculatis, decagynis, calycibus 5-dentatis, petalis calyce duplo longioribus. Reliqu. Willd. Ms.

Sibbaldia grandiflora. Schult. Syst. veg. VI. 770.

Radix lignosa ramosa, crassitie pennae anserinae, multiceps; caules plures palmares densumque cespitem foliorum emittens. Folia petiolata pinnatifida, pinnis laciniatis, summa trifida, ad petiolum attenuata. Flores ad ramificationes pedunculati, calycis laciniis ovatis acutis. Petala ovata, subunguiculata, striata. Stamina calyci inserta. Receptaculum dense pilosum. Semina 8—10, pilis involuta, stylo laterali. De Schlechtendal in lit. ad div. Römer.

Hab. ad Selengam Sibiriae. ♃. Pallas. Occurrit eodem nomine in herbario Joannei nor. ex herb. Pall. caule erecto, paucifolio, paucifloro; corymboso (cymoso?), 2—3 pollicari; foliis radicalibus copiosis, semitrifidis, linearibus, fere Saxifragae cespitosae, sed densioribus, sessilibus; caulinis 2—4, alternis, angustis, linearibus, planis, trifidis; petalis obovatis, retusis. De Vest in lit.

COMARUM. *L. Potentilla.* Nestl. Argentina. Lam. Fragaria. Hall.

(Syst. sex. Icosandr. polygyn. A. n. Rosaceae. G. p. Potentilla.)

Char. gen. Calyx 10-fidus, laciniis coloratis, acuminatissimis, exterioribus alternis 5plo minoribus. Petala 5, obovato-lanceolata, laciniis minoribus opposita, hisque paullo minora. Stamina 20—36 limbo calycis adnata, basi dilatata; antherae reniformes. Gynophorum carnoso-spongiosum (inedule), ovatum, persistens: germina plurima; styli laterales, stricti; stigmata subsimplicia. Akenia oblique ovata, laevia, minima, calyce persistente connivente tecta,

Species unica per omnem terrae orbem cis aequatorem dispersa, pulcherrima. Differt hoc genus a Potentilla tantum, quantum Sibbaldia et Lehmannia: calyce colorato, petalis minutissimis, gynophoro carnoso, maximo, et calyce fructus connivente.

Nomen a Graeco Κόμαρον. Sic enim antiqui appellarunt Arbutum unedonem et Fragariam. Transferebatur hoc nomen in speciem spuriam quidem Fragariae, sed tamen minus alienam quam est Arbutus Unedo, quam nomine triviali arborem fragiferam, s. Fragariam arborescentem appellant. T.

COMARUM *palùstre.* L.

C. radice repente caule adscendente, foliis pinnatis: foliolis lanceolatis, acute serratis, petalis lanceolatis acuminatis, calyce multo brevioribus. Lehmann.

Comarum palustre. Linn. Sp. pl. ed. 2. I. 719. Willd. Sp. pl. II. 1119. Pers. Syn. pl. II. 58. Schult. Oest. Fl. ed. 2. II. 94. Hoffm. Deutschl. Fl. 1791. tab. 7. Fl. dan. IV. t. 636. Pursh. Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 356. Schkuhr. Bot. Handb. II. 62. tab. 138. f. 1.

Potentilla palustris. Scop. Fl. carn. ed. 2. I. 359. Lehm. Pot. p. 52.! no. 13.

Potentilla Comarum. Nestl. Pot. p. 36. no. 15.

Comarum rubrum. Gilibert. Supplem. Syst. pl. Europae. p. 365.

Argentina rubra. De Lam. Fl. franç. III. 120.

Radix cylindrica repens, per intervalla fibrosa. Caules adscendentes, sesquipedales et longiores, subcompressi, inferne glabri, purpurascentes, superne pubescentes. Folia inferiora petiolata, impari-pinnata, quinata vel septenata, summa sessilia ternata. Foliola subsessilia, oblongo-lanceolata, acute serrata, supra saturate viridia (glabra), subtus glaucescentia (pubescentia), venosa. Petioli communes basi vaginantes et membranacei. Stipulae in superioribus foliis ovatae, acutae, integerrimae. Flores in summo caule axillares et terminales, pedicellati. Calyces patentissimi, pubescentes: foliola exteriora minima lanceolata, interiora maxima, ovata, acuminata, atropurpurea. Corolla parva, atropurpurea: petalis lanceolatis, acuminatis, calyce multo brevioribus. Receptaculum (gynophorum) ovatum, spongiosum, villosum, foliolis calycinis majoribus fructu crescente conniventibus inclusum. Lehmann.

Hab. per totam Europam, in Asia orientali et America septentrionali, locis spongiosis, uliginosis, paludosis et turfosis: (ego in subalpinis) ♃. Variat cal. lacin. 12. petalisque 6—7: foliis digitatis, praesertim superioribus, et foliolis utrinque dense pubescentibus. T.

SPALLANZÀNIA. *Pollini.* Agrimonia. L. Amonia. Nestl. Aremonia. Neck. Agrimonoides. Tourn.

(Syst. sex. Octandr. digyn. A. n. Rosaceae. G. p. Agrimonia.)

Char. gen. Involucrum 8—12fidum, campanulatum: laciniis irregulariter inaequalibus lineari-lanceolatis, patulis. Calyx proprius infundibuliformis: laciniis 5 corolla brevioribus, fauce stigmatibus obturato. Corolla 5-petala: petalis obcordatis, calyci insertis. Germen 1—2, fundo calycis retentum: styli 2 terminales. Akenium solito unicum, urceolo calycis demum globoso inclusum, tenui-membranaceum: semen appensum. T.

Genus hoc ab Agrimonia, cui ceterum proximum, differt involucro, calyce et staminum numero. Praeterea habitus penitus alienus est. Abbas Spallanzani seculo 18vo erat magnus physiologus, et etiam botanicus. Scripsit: Opuscoli di fisica animale e vegetabile. 1776. II. vol. Modena. — Fisica anim. e veget. 1782. III. vol. Venezia. — Expériences sur la génération des animaux et des plantes. 1786. I. vol. Genève.

Distinguendum genus a Spallanzania Neckeri, quae est Pirigara Aubletii, seu Gustavia Linnaei.

Species usquedum nonnisi unica Europae australi exclusive propria. T.

SPALLANZANIA *agrimonòides. Poll.*

S. foliis radicalibus pinnatis, caulinis ternatis, impari majori basi cuneiformi. Pollini.

Spallanzania agrimonoides. Poll. Hort. et prov. veron. pl. nov. vel min. cogn. p. 10. fig. 1. A. B. C. D. E. F. G. Ej. Viag. al lag. di Garda. p. 96. Ej. Fl. veron. I. 509.

Agrimonia agrimonoides. Linn. Willd. Sp. pl. II. 876. Roemer Fl. europ. fasc. 4. tab. 1. Smith. Prodr. Fl. graec. I. 322. no. 1089.

Radix horizontalis, brachiata, fibrosa, emittens caules basi primum decumbentes, dein erectos inter plurima folia radicalia pinnata, pinnarum paribus 2 — 3, foliolo terminali majore, minoribus pinnulis intermixtis. Pinnae ovatae, villosae, dentatae. Caulis teres, villosus, alterne ramosus, debilis, foliis caulinis ternatis. Stipulae ovatae, acuminatae. Flores terminales, corymbosi (cymosi), 2, 3, 4, raro 6, singuli pedunculati. Calyx duplex (potius simplex, involucratus): inferior (involucrum) major, tubuloso-dentatns (potius campanulatus. v. char. gener.) dentibus 7—10, profunde et inaequaliter incisus, erectus, striatus, villosus, patentissimus; superior minor (infundibuliformis, germina et stylos faucem perforantes et stigmatibus obturantes sinu suo fovens, limbo 5 partito) lacinulis corolla brevioribus, ovato-acutis, aequalibus glabris, patentibus, anthesi finita conniventibus et persistentibus. Petala 5, saturate flava, obovata, apice emarginata, basi in unguiculos decurrentia, patentissima, caduca. Stamina 6, 7, 8, nec plura, corolla paullo breviora, antheris didymis, staturatius flavis. Styli 2, staminum altitudine, albi. Stigmata subcapitata albida. Roemer.

Hab. in Graecia, Carniolia et Italia. ♃. Flores in quolibet caule perpauci, cymosi, nec spicati. Herba cespitosa, diffusa, caulibus saepe, ut in Potentillis, pluribus, decumbentibus. Radix caulescens. T.

AGRIMÒNIA *Tournef.*

(Syst. sex. Icosandr. digyn. A. n. Rosaceae. G. p. Spallanzania.)

Char. gen. Calyx subturbinato-urceolatus, limbo 5-fido extus circum circa glochidiatus, calyculo minimo 2- partito infra cinctus; pedicellus bracteis 2—3 basi obvallatus. Petala 5, calyci inserta. Semina 2 inclusa calyce capsulari, biloculari, glochidibus magnitudine auctis armato. T.

Herbae perennes, specierum characteribus parum divergentes, per Europam, Asiam septentrionalem et Americam dispersae. Folia impari- et interrupte pinnata. Affinitatem Agrimoniae et Spallanzaniae cum Rosa ostendit calyx, cum Geo stipulae et folia.

Nomen ortum ex corruptione vocis Argemone, ob virtutes argema dissolventes, quae speciei vulgatissimae tribuuntur. T.

AGRIMONIA *Eupatòria* **L.**

A. foliis interrupte pinnatis: foliolis ovato-lanceolatis, toto ambitu inciso-serratis: serraturis rotundatis; calycibus fructus profunde sulcatis, costis elevatis; petalis obovatis, integerrimis calyce duplo longioribus. T.

Agrimonia Eupatoria. Willd. Sp. pl. II. 875. Pers. Syn. pl. II. 9. (in Dodecandria.) Willd. Enum. h. ber. I. 519. Link. Enum. h. b. II. 34. (in Icosandria.) Fl. dan. III. 588. Curt. Fl. lond. fasc. V. t. 32. Schkuhr. Bot. Handb. II. 5. t. 128.

Agrimonia officinalis. De Lam. Encycl. bot. I. 62.

Agrimonia minor. Mill. dict. no. 2.

Radix perennis, ramosa, rubescens. Caulis 1—3 pedalis, erectus, obtuse tetragonus, hirsutus, viridis vel purpurascens, simplex vel ramosus. Folia radicalia, ceteris longiora, brevi-petiolata, caulina subsessilia, omnia interrupte-pinnata, numero parium admodum irregulari, 1—6 juga et ultra, foliolo terminali maximo, subodorata; pinnae suboppositae, sessiles, subovatae, venosae, serratae, serraturis rotundatis, ciliatae, supra pubescentes, subtus cinerascenti-tomentosae: pinnulae interjectae pleraeque simplices, aliae 2 — 3 fidae. Stipulae majusculae, amplexicaules, patentes, inciso-dentatae. Bracteae inferiores trifidae, superiores simplices, hirsutae, calyce longiores. Spica apparens (nam revera racemus est) terminalis, elongata, hirsuta; pedicellis brevissimis axi adpressis. Calyculus bipartitus, minimus. Bracteae 1 — 3, involucrum mentientes dentatae. Calyx urceolatus, persistens, limbo 5 partito, extus undique et dense setis glochidiatis cartilagineis munitus, longitudinaliter et profunde 7 — 10 sulcatus, costis radiatis eminentibus fauce clauso, stylis pervio. Petala 5, obovata, integerrima, calycis laciniis 2 plo, nonnunquam 3 plo longiora, saturate lutea. Stamina 12 — 30, incurva. Antherae didymae, compressae. Germina 2, calycis urceolo intus adnata. Styli 2, divergentes. Stigmata sub capitata. Calyx fructus adauctus, glochidibus adauctis echinatus, cum akeniis basi connatus, nutans. Semina duo, subrotunda, glabra. T.

Hab. in zona temperata septentrionali per Europam, Asiam et Americam. ♃.

AGRIMONIA *odoràta. Mill.*

A. foliis interrupte pinnatis: foliolis oblongo-lanceolatis, argute dentatis, serratisve, basi cuneatis, plerumque integris, utrinque, subtus tamen magis canescentibus, terminali sessili; glochidibus calycis divaricatis. T.

Agrimonia odorata. Mill. dict. no. 3. Ait. h. k. ed. 1. II. 130. Ej. ed. 2. III. 152. Willd. Sp. pl. II. 875. Ej. En. h. b. I. 520. Pers. Syn. II. 9. De Cand. Fl. fr. IV. 451. no. 3723. Schkuhr. Bot. Handb. II. 6.

Planta 3—4 pedalis et ultra, suaveolens et refrigerans, A. Eupatoriae simillima quidem, sed et diversa, praeter magnitudinem, a.) foliis utrinque subcanescentibus, dense pinnatis: b.) foliolis oblongo-lanceolatis, basi plerisque integris, cuneatis: c.) dentibus foliolorum argutis, nec rotundatis; d.) foliolo terminali sessili: e.) stipulis maximis, cristatis: f.) glochidibus divaricatis; g.) calyce fructus minus sulcato minusque deflexo, et h.) floribus saturate aureis suaveolentibus.

Hab. in Gallia et Italia. ♃. Non est mera A. Eupatoriae varietas. T.

AGRIMONIA *suaveòlens. Pursh.*

A. hirsutissima; foliis interrupte-pinnatis, impari sessili: foliolis plurimis lanceolatis, argute serratis, subtus hirsutis, spicis virgatis viscosis; floribns brevi-pedicellatis: petalis calyce duplo longioribus; fructibus obconicis, divaricato-hispidis. Pursh.

Agrimonia suaveolens. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. I. 336. Poiret. Enc. Suppl. V. 539.

Hab. in pratis montosis altis Virginiae et Carolinae. ♃. Fl. Jul. et Aug. Planta 5-pedalis, hirsutissima pilis longis fuscescentibus. Spicae (seu potius racemi) pariter hirsuti pilis viscosis, et inde gratissime et balsamice suaveolentes. Flores parvi, pallide flavi. Ex Purshio.

Planta haec A. odoratae persimilis esse, sed tamen etiam sufficienter differre videtur viscositate, hirsutie fuscescente, et floribus pallidis minoribus. T.

AGRIMONIA *parviflòra. Ait.*

A. fructibus hispidis; foliis caulinis pinnatis: foliolis plurimis lanceolatis; petalis calyce sesquilongioribus. Aiton.

Àgrimonia parviflora. Ait. h. k. ed. 1. II. 130. Ej. ed. 2. III. 152. Willd. Sp. pl. II. 876. Pers. Syn. II. 9. Pursh. Fl. Am. sept. ed. 2. I. 336.

Caulis gracilis, subteres, rubescens, canescenti-tomentosus. Spicae terminales, pauciflorae, laxae. Foliola anguste lanceolata, dentata, rugoso-nervosa, supra fere glabra, obscure virentia, subtus cinereo-tomentosa, ciliata. Stipulae magnae, semiovata, acuminatae, ceterum foliolis aequales. Bracteae lineari-lanceolatae, pedicellis longiores. Flores parvi aurei. V. s. sp. T.

Hab. ad latera collium et in sylvis Pensylvaniae et Virginiae. ♃. Flor. Jun. et Jul. Foliolum terminale sessile. Spicae a Purshio dicuntur virgatae, et fructus subrotundi, divaricato-hispidi. Habitu quodammodo monet Verbenam officinalem. T.

AGRIMONIA *striàta. Mich.*

A. spicis virgatis, fructibus reflexis, turbinatis, sulcato-striatis, apioe tantum et quasi coronatim hispidis. Michaux.

Agrimonia striata. Mich. Fl. bor. amer. I. 287. Pursh. Fl. Am. sept. I. 336. Poir. Enc. Suppl. V. 539.

Hab. in Canada. ♃. +. Flores albi. Nomen ineptum, ego potius dicerem coronatam: nam fructus, nisi omnium specierum, saltem A. Eupatoriae pari modo cernui et sulcato-striati sunt. Ceterum haec species prae reliquis uberiorem commentationem reposcit. T.

AGRIMONIA *repens. Ait.*

A. fructibus hispidis; foliis caulinis pinnatis: foliolis oblongis; spicis subsessilibus; petalis calyce triplo longioribus. Aiton.

Agrimonia repens. Ait. h. k. ed. 1. II. 130. Ejusd. ed. 2. III. 152. Willd. Sp. pl. II. 875. Pers. Syn. pl. II. 9. De Lam. Enc. bot. I. 63. Ej. Ill. d. gens. V. t. 409. f. 2. Poir. Enc. Suppl. I. 263. Willd. Enum. h. ber. I. 520.

Radix caulescens, repens, crassa; caulis secundarius hirsutus humilis, crassus, foliosus, fere undique tectus stipulis reflexis longitudine interstitiis subaequalibus. Foliolum impar sessile. Racemus spicaeformis, brevis, densus, sessilis. Bracteae longitudine florum.

Hab. in Armenia. ♃. Plus quam sufficit diversa a reliquis omnibus speciebus sui generis rhizomate repente, et stipulis reflexis totum caulem secundarium obumbrantibus. T.

Anmerkung.

Dieser Band besteht aus

Titel und Vorredé, $1\frac{1}{2}$ Bogen (p. I — XXIII.)

Rosaceae. $20\frac{1}{2}$ Bogen mit den Signaturen: 1 bis 163 im linken Ecke jedes Blattes.